Zur

# öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

# Königlichen Gymnasiums zu Lissa

**am 3. und 4. April 1860**

ladet

alle Beschützer, Gönner und Freunde des Schulwesens,

ehrerbietigst ein

der Director des Gymnasiums

**A. Ziegler.**

***Inhalt:***

Schulnachrichten.

Abhandlung des Professors Olawsky: De graecarum radicum πιθ et πυθ mutis consonantibus ac naturali significatione.

**Lissa.**

Gedruckt bei Ernst Günther.

Q. 31024

## De graecarum radicum πιϑ et πῑϑ mutis consonantibus ac naturali significatione.

Quod interrogant, ex qua parte complurium dialectorum aut linguarum vocabula, ab eadem radice orta, oporteat esse similia, ab voce, an significatione, respondemus ab utraque. Etymologis autem, ne in varios errores incurrant, a voce, non ab intellectu vocabula inter se comparandi initium capiendum est. Sed etiamtum si verborum vocem prius, quam intellectum respexerimus, a comparationis quadam ratione caveamus oportet, ab ipsis Graecis Romanisque usque ad haec tempora propagata. Quam qui sequuntur, duo, quae inter se repugnant, postulant. Primum vocabula cognatarum linguarum, nisi litera literae respondeat, ejusdem originis esse negant, deinde contra ea, dummodo verba inter se collata idem, vel simile quid valeant, literarum diversitatem rursus non curant. Arbitrio igitur suo in comparando obsequuntur, nullam certam comparationis viam ac rationem ineuntes. Qua re fit, ut saepissimenumero aut propter vocis et literarum quandam similitudinem vocabula origine inter se affinia esse falso putent, aut alia, quae ex uno eodemque fonte fluxerunt, ob literarum quandam differentiam haud recte secernant. Huc accedit, quod non solum Graecorum et Romanorum, sed etiam his temporibus permulti fuerunt, qui, aliarum, quae eandem originem ducunt, linguarum nulla fere ratione habita, verborum vocem et significationem recte et legitime constitui posse putaverunt, aut, ubi unam alteramve linguam ad comparationem adhibuerunt, legem, quam in comparandis vocabulorum literis sequerentur, observarunt nullam, quo factum est, ut in ea re non multum proficerent. Etiam in rimandis conferendisque verborum graecae latinae, germanicaeque linguae originibus etymologi ante Jacobum Grimm ad unum omnes a recta via declinarunt; ab hoc demum viro, de tota re etymologica optime merito, lex, qua hae tres linguae inter se comparandae sint, certa quaedam detecta est, quam in definiendis graecarum √πιϑ et πῑϑ cum mutis consonantibus, tum principali ac naturali significatione nobis quoque ita sequendam esse censemus, ut etiam in latinam graecamque linguam aliquid inde lucis redundet.

Radix vocabulorum, si non omnium, longe tamen plurimorum duas habet partes, vocalem aut simplicem aut geminam et unam vel plures literas consonantes; radices, a quibus nomina et verba oriuntur, in indo:europaeis linguis una syllaba continentur omnes. Itaque si in cognatarum dialectorum vel linguarum verbis conferendis a voce rectius ordimur, quam ab intellectu, primum videndum erit, quaenam radicis literae, vocales et consonantes, in cognatis vocabulis eaedem sint oporteat, deinde si qua literarum in altera lingua reperiatur diversitas, certa quaedam ac definita lex constituatur necesse est, qua singularum literarum differentiam non solum quodammodo excusemus, sed etiam ut legitimam ordinariamque statuamus. Vocabulorum terminationes et radicis vocales (dex-ter, δεξ-ιός; ξένος, ξεῖνος; νόσος, νοῦσος) in cognatis linguis multifariam esse diversas grammatici praecipiunt omnes. Quodsi ejusdem stirpis verba in cognatis

linguis neque eadem semper vel litera, vel syllaba terminantur et diversas saepe radicis habent vocales, restare videtur, ut, qui etymon cognatis duarum linguarum vocabulis ab initio commune enucleare velit, id unum saltem demonstrare coactus sit, consonantes eorum literas nunquam non esse easdem, id quod ante Jacobum Grimm etymologi fere omnes tradiderunt. At ille vir legem etymologicam, secundum quam mutarum consonantium ratio ac vicissitudines in lingua graeca, latina, germanica definiantur, detexit et primus praecepta certa dedit, quibus freti verborum comparationem ita absolvamus, ut de communi vocabulorum inter se collatorum origine dubitari nequeat. Eam legem nostra lingua vocant Lautverſchiebung i. e. legitimam quandam atque ordinariam mutarum consonantium, ut ita dicam, homorganicarum permutationem.

Liquidas radicis consonantes (l. m. n. r. s.) indo:europaeae stirpis linguae habent communes; nonnunquam in altera lingua inter se transponuntur (cerno, κρίνω; sterno, στρώννυμι; crinis, κάρ), aut altera est alterius vice (honor, honos; os, oris; auris, goth. auso; frieren, Frieſel; Ehur, fieſen; ἕρπω, serpo; ὅ, ἥ, goth. sa, so). At mutarum ejusdem generis consonantium certa quaedam in his tribus linguis et legitima est differentia, ita ut graeca et latina*) primum locum obtineat, secundum gothica, tertium germanicae non omnes, sed ea tantum, qua in meridionalibus patriae nostrae partibus et prius locuti sunt et adhuc loquuntur. Si duae sunt radicis mutae, inter se distantes, aut in utriusque locum alterae ejusdem generis in cognata lingua succedunt, aut altera suo loco manet; sin eae uno tenore inter se copulatae sunt, in altera lingua interdum non permutantur. Quae consonantes mutae graecas literas βπφ et γκχ secundo et tertio loco i. e. in gothica et franca lingua excipiant, docere cum aliquantum habeat difficultatis, in usum eorum, qui hujus legis grammaticae periti non sunt, mutas δ τ ϑ hic adnotamus.

Formula mutarum δ τ ϑ

gr. et lat. δ d — τ t — ϑ (f aut t)
goth. t — th — d
neogerm. z, ß, ß, ſſ, ß — d — t (th?) **). Ex. c.

| | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 1) | δεξιός dexter; | taihsvo; | zeswar | 2) | τρεῖς tres; | threis; | drei |
| | δάκρυ lacryma; | tagrs; | Zähre | | τείνω tendo; | thanjan; | dehnen |
| | (dingua) lingua; | tuggo; | Zunge | | torreo; | thaursis; | dürr |
| | δέκα decem; | taihun; | zehn | | trudo; | thriuta; | ver=drießen |
| | δείκνυμι dicare; | teihan; | zeigen | | o-ratio, ratio; | rathja; | Rede |
| | duco; | tiuha; | ziehen | | φρατρία frater; | brothar; | Bruder |
| | δύο duo; | tvai; | zwei | | vertor; | vairtha; | werde |
| | ἕδος sedes; | sitan; | ſitzen | | iterum; | vithra; | wider |
| | ἔδομαι edo; | itan; | eſſen | 3) | ϑυγάτηρ; | dauhtar; | Tochter |
| | ποδός pedis; | fotjaus; | Fußes | | ϑύρα fores; | daur; | Tor (th?) |
| | | | | | ϑήρ fera; | dius; | Tier (th?) |
| | | | | | ϑρύπτω; | — | Traube. |

*) Quo graecae et latinae, eodem loco etiam aliarum indo:europaeae originis linguarum mutae consonantes reperiuntur eaedem, qua re et quam verum sit hoc etymologicum germanicae grammaticae praeceptum et quantum ponderis non solum ad latinam graecamque, sed etiam ad reliquas linguas comparandas habeat, multo etiam magis perspicuum fit.

**) Neogermanicae linguae aspiratam et in formula et in exemplis variare videmus; deest enim nobis litera, quae graeco ϑ et Gothorum Anglorumque th respondeat. Si qui sunt, qui nostrum th pro aspirata habeant, de indu-

Qui igitur in comparandis verborum originibus id assequi volunt, ut consonantes mutae congruant, quantum a recta via decedant, vel ex paucis vocabulis, hic adscriptis, facile intelligitur. Immovero ubi omnes literae, praesertim radicis mutae in his tribus linguis inter se conveniunt, aut fortuito id factum est, et ejusmodi vocabula, licet literis sint iisdem, tamen aliam originem ducunt, aut utrique linguae non ab initio communia, sed ex altera in alteram linguam recepta et quasi civitate donata sunt.

Quae cum ita sint, si latinae graecaeque, gothicae francaeve linguae verborum affinitatem demonstrare velis, illud pro certo statuendum est, mutae consonantes radicis diversae sint, oportere; sin eaedem reperiantur, num ea vocabula cognata sint, optimo jure ambigendum esse. Gravissima hac germanicae grammaticae lege, quam secuti posthac et Sanscritani comparationem verborum multo ampliorem reddiderunt, tota rei etymologicae ratio immutata est. Nam cum ante Jacobum Grimm ii, qui has tres linguas inter se conferrent, easdem verborum literas postularent, aut neglectis rursus literis, significationum similitudines sectarentur, nunc e contrario etymologis, priusquam ad constituendam verbi significationem procedant, in demonstranda mutarum consonantium vicissitudine, nec vero ea illegitima, omnis opera consumenda est.

A lexicographis et grammaticis graecae et latinae linguae superioribus non solum hanc legem etymologicam, quae ad literas consonantes, sed etiam alteram, quae ad vocalium radicis vicissitudinem (ϱαγ, ϱηγ, ϱωγ: ϱαγάς, ϱηγμίν, ϱωγή; sedeo, sêdes, sîdo) spectat, aut negligi aut non satis apte explicari videmus; Georgii demum Curtii opera nuperrime factum est, ut nunc certo sperare possimus, fore, ut extra germanicam grammaticam in gymnasiis etiam per graecam etymologica ars sublevetur orneturque. Ea igitur, quae Weberus Halensis de G. Curtii libro, de principiis graecae etymologiae scripto, in eph. Muetzellii Berol. (1859. m. Augst.) p. 623 judicat, legentibus se commendant dignaque sunt, quae hic repetantur: „Es iſt — inquit Weberus — eine Forderung, die an jeden Philologen geſtellt werden muß, daß er ein ſolch grundlegendes Buch ſtudirt. Viele werden vermuthlich davor wieder zurückſcheuen; die einen aus eingebildeter Furcht vor dem Sanskrit und vielleicht leider auch, weil für ſie das deutſche Sprachſtudium neuerer Zeit ein unbekanntes Ding iſt; die andern, weil ſie doch immer noch glauben, ſie kämen mit der bisherigen Art der Sprachkenntniß auch noch durch; den letztern wird es die Zeit lehren, in welchem Irrthume ſie ſich befinden.*)

---

stria ejus rei ignorantiam prae se ferre student; hoc enim th consonantem tenuem, non aspiratam esse et ipsa formula planum reddit et in vulgus notum est. Literam h in aliis vocabulis (Thon) scribunt, in aliis (Ton) omittunt; at neque addendi, neque omittendi rationem probabilem habent ullam, nisi forte cum Adelungio statuunt, vocabula sensu tam diversa, ut ab iis, qui legunt, non discerni non possint, insuper etiam literis scribenda esse diversis. Non omnes germanicas linguas usque ad tertiam mutarum seriem devenisse jam supra dictum est. Etiamnunc ii, qui septentrionalem Germaniam incolunt, ubi nos aspiratam z, ß, ff ponimus, tenuem, ut Gothi, habent ex. c. Zeit, Tit; zehn, teigen; eſſen, eten; freſſen, freten, alia.

*) Nos quoque cum persuasissimum habeamus, has novas leges etymologicas, a germanicae et sanscriticae linguae magistris et detectas et constitutas (cf. infra disputationis nostrae finem), non ita multis annis post etiam in reliquarum linguarum grammaticam penetraturas esse, cum Sanscritanorum disciplina a gymnasiis longius absit, faciendum nobis esse putavimus, ut primi et secundi ordinis discipulis nostris, qui sunt de stirpe germanica, nostrae saltem linguae elementa grammatica traderemus. Hoc enim modo, ubi brevi post haec studia pervicerint, non, ut nunc multi, taedio novae rei, quominus ad ea adeant, absterrebuntur, sed non solum suam ipsorum linguam melius perspicient, sed etiam postea ad Sanscritanorum reliquorumque grammaticorum rationem novam facili negotio se applicare poterunt.

At sunt in graeca lingua vocabulorum quorundam radices, quae ab aspirata consonante et incipiant et in aspiratam exeant. Ejusmodi duarum aspiratarum copulatio cum Graecorum aures offenderet, jam in ipsa graeca lingua mutarum consonantium permutatio quaedam invenitur; altera enim in tenuem consonantem vertitur. Reperiuntur quidem formae cum duplici radicis aspirata ex. c. *ἐθέλχθην, ἐθρέφθην, ἐθάφθην,* verum alias aspiratarum aut prior aut posterior tenui consonanti cedit ex. c. *θαφ: θάπτω ἐτάφην; θρίξ τριχός; θύω ἐτύθην; χιτών κιθών; ἐνταῦθα ἐντεῦθεν: ἐνθαῦτα ἐνθεῦτεν.* cf. Buttmanni gr. grammat. § 18, Nro. 2. Nonnunquam, id quod Buttmannum fugit, cum in graecis, tum praecipue in latinis ejusdem originis vocibus etiam mediam consonantem in posterioris aspiratae locum successisse infra docebitur. Quaenam autem consonantes his duabus hujuscemodi graecarum radicum aspiratis secundo et tertio loco i. e. in gothica et franca lingua, conveniant, primum erit respiciendum. Nam cum harum radicum mutae consonantes in ipsa graeca lingua inter se varient, verisimillimum est, fore, ut etiam secundo et tertio loco quodammodo confundantur. Huc accedit, quod cum graecae et latinae linguae consonantes mutae in universum congruant, aspiratarum tamen ratio in latina non eadem est atque in graeca. Fieri igitur non potest, quin jam primo loco i. e. in latina lingua vocabula, quae eandem cum ejusmodi graecis radicibus originem ducunt, diversas mutas habeant i. e. etiam inter graecam latinamque linguam in cognatis ejus generis vocabulis mutarum discrimen quoddam intercedat, multo quidem arctioribus finibus circumscriptum, tamen id, quod cum mutarum vicissitudine, in gothica et aliis germanicis linguis usitata, quodammodo comparari posse videatur. Ut jam hic ea, quae diximus, paucis exemplis explanemus, res ipsa postulat. Mutas gothicas et francas a graecis latinisque distare, graecas et latinas esse convenientes, jam supra docuimus. Aliter res se habet, si aspiratas literas graecae et latinae linguae spectamus ex. c. *θύρα* fores; *θήρ φήρ* fera; *παθεῖν* pati; *λαθεῖν* latere; *θιγεῖν* tetigi; *π–θ πιθεῖν,* fides; *πιθάκνη* fidelia; *πύθω* foeteo, puteo, alia. Si in graecis radicibus duae insunt aspiratae, quarum altera syllabam inchoat, altera claudit, diversitas literarum in cognatis latinis vocabulis etiam major est. Sed cum de omnibus ejusmodi graecis radicibus disserere non in promptu sit, de duabus tantum $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ et *πῦθ* i. e. *πιθεῖν* et *πύθειν,* quarum genuinam formam duas aspiratas habuisse contendo, singillatim disputare in animo est. Caeterum si, ut hanc quaestionem, vernacula lingua fortasse tractabiliorem, absolverem, latino usus sum sermone, multo me minus ejus elegantiam affectasse, quam rem ipsam spectasse ingenue confiteor. Revera eo consilio a me id factum est, ut in antiquitatem penitus demissus, ab iis, quae, cum haec scribebam, tunc erant, temporibus animum meum longius averterem. Jam vero quod ad $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ et *πῦθ* attinet, spero, fore, ut constituenda mutarum consonantium formula et naturali earum significatione, id, quod nunc demonstrandum est, perspicuum reddatur.

I. Radix φιϑ i. e. πιϑεῖν.

Formula mutarum consonantium:

I) In graeca et latina lingua; II) in gothica; III) in franca et neogermanica

in gr. φ-ϑ, pro quibus sunt — b-d — p-t — ƀ-ƌ

1) aut π-ϑ, (π-σ) ƀ-t.

2) aut φ-δ, (φ-σ); in lat.:

1) aut f-d, (f-s)

2) aut p-t cf. alteram √φῦϑ.

Formula vocalium radicis, deinceps se excipientium:

a) graecarum ι — ει — οι,

b) latinarum i — î — oe,

c) germ. non i, ei, ai habent, sed alium conjugationis ordinem sequuntur: i, a, u. Ex. c.

| Graec. et lat. vocalis i | î et ει | oe et οι |
|---|---|---|
| πιϑεῖν, πιϑέσϑαι; πεφιδέσϑαι | πείϑω, πείϑομαι | πέποιϑα |
| πίϑος, πιϑάκνη, φίδος, φιδάκνη, | πείσα | foedus, eris, pro quo |
| fidelia, ae, φισάκνη; Gebind, Gefäß, Faß. | πεῖσμα | et fîdus invenitur. |
| σφίδη, σφίδες, fidis, fidicula; | πειστήρ, | |
| ags. fetel, franc. vezzil; Feſſel, feſt. | fîdus, (levifĭdus apud Plautum?) | |
| πίστις, fides, ei. | fîsus, fîdens, fîdo | |
| πιϑανός, πιστός, fidelis, e. | φειδίτιον, apud Ennium | |
| πίστιος, Fidius, mediusfidius. | fîdus, eris. | |
| πίϑλα, fidlum = fîlum (fîlius?) | φειδωλός. | |
| skr. √bandh; goth. bindan; franc. pintan; | φείδων. | |
| binden, Band, Baſt, Bund, Banſen. | φειδώ. | |
| Ut graec. φισάκνη, ita latina fascis, fascia, | φείδομαι (φίδομαι). | |
| Bündel, Binde f-s (φ-σ) habent. | | |

II. Radix φῦϑ i. e. πύϑειν.

Formula vocalium **) radicis, deinceps se excipientium.

| I. goth. iu; neogr. ιε; gr. ευ, ῦ; lat. û. | II. goth. au (ô); neogr. ô, (οε); gr. ου, (αυ, ω et ῳ) lat. oe. | III. goth. neogr. et lat. u (gr. υ?) |
|---|---|---|
| πύϑω, πῦος, πῦαρ. | φῳδες (φαῦσιγξ) | putare, putus |
| Πύϑων, Πυϑώ, Πύϑιος | foedus, a, um | putamen. |
| pûteo, pûs, pûsula | foeteo, foetidus | puteus, franc. puzzi |
| puter (u an û ?) | fetus, us, fetus, a, um (e an oe?) | butzen, putzen |
| bieſen, Biet, Bied; Bieſt. | goth. bauds, bausis (?) | Putz, Butz, des Putzen |
| | franc. pôsi. | Butz, Putz, des Putzes |
| | franc. pôsewiht | Boſſe, Poſſe, reliqua. |
| | böſe et nom. proprium | Romanica quaedam vocabula. |
| | der Böſe (διάβολος) | (πυϑέσϑαι??) |
| | Bosheit; boſen, (pro quo nunc boßen scribimus). | |

**) Gothicis vocalibus u, iu, au graecam vocalium seriem υ, ευ, ου (λυϑ, λευϑ, λουϑ; φυγεῖν, φεύγω; σπεύδω, σπουδή; ἤλυϑον, ἐλεύσομαι, εἰλήλουϑα) esse convenientem probe scimus. At ut est δρῦς: goth. triu, σῦς: sûs,

## I. Radix φιϑ i. e. πιϑεῖν.

Non dubitamus, quin omnes, comparativae quam vocant grammaticae imperiti, interrogaturi sint, quo tandem jure haec vocabula juxta se collocentur; multa enim cum literis, tum significatione, quae vulgo in lexicis traditur, valde inter se discrepant. Sed in eorum ipsorum usum postquam jam supra de radicis et consonantium mutarum et vocalium vicissitudine ac mutatione nonnulla praefati sumus, jam singula accuratius persequendo efficere conabimur, ut et illi argumentis nostris fidem tribuant. Qui comparativae grammaticae gnari sunt, eos multo faciliori opera ad sententiam nostram adducemus.

Primum omnium verbi πιϑεῖν principalis ac naturalis vis non est ea, quam, excepto Ernestio, omnes et veteres et recentiores lexicographi, in his etiam Passovius et ii, qui ejus lexicon conjunctis curis edere parant, statuere solent. Apud Henricum Stephanum (Parisiis. 1842—47) VI. 659 haec leguntur: „„*Πείϑω* Persuadeo, Oratione flecto, Flecto, Impello ad rem faciendam, Suadeo, Conor.““ At editores ejus lexici doctissimi significationem verbi πιϑεῖν, primo loco adscriptam, principalem esse ac naturalem, haud facile cuiquam probaverint. Nam omnia omnium linguarum vocabula a principio ea semper valent, quae oculis cernere, auribus aliove sensu percipere possumus. Quodsi cujus vocabuli in lexicis principalis vis traditur ea, quam cogitatione et mente comprehendamus, apparet, aut falso id tradi, aut primam ejus significationem non amplius a nobis investigari posse. Quod cum per se evidens sit, tum, qui verbi πιϑεῖν intellectus fuerit naturalis, certis argumentis adhuc demonstrari potest, in qua re jam Ernestium aliqua saltem ex parte verum detexisse et video et gaudeo. Passovius Ernestii sententiae s. v. πείϑω in extremis lineis mentionem quidem injicit, sed in enarranda ipsius graeci verbi et nominum inde ortorum significatione rationem ejus ducit nullam. Porro etiam φείδομαι ab initio non est parcere, id quod, cum idem omnes contendant, jam hic eos, qui legent, praemonitos velimus. Infra de ea re multis verbis disputabitur; ideo non opus est eam lexicographorum opinionem nunc pluribus refellere; id unum satis erit dixisse, neminem facile crediturum, ab hoc verbo, si a principio idem atque latinum parcere valeret, casum genitivum regi posse, quippe qui in graeca lingua id semper significet, a quo, ex quo aliquid exeat, proficiscatur, oriatur.

---

dûco: goth. tiuha, ita et in πύϑω longum *υ* pro *ευ* positum est et latino û (pûteo) respondet. Cf. J. Grimm Gram. I. p. 540. Diphthongi *ου* loco et *ω* ponitur ex. c. *Μοῦσα, Μῶσα, Μοῖσα,* pro quo Cretenses etiam *αυ* locuti sunt ex. c. *αὖς, αὐτός* = *οὖς, ὠτός;* ita et φαῦσιγξ illud *αυ* ostendit; praeterea in hac radice etiam *ωϊ, ῳ,* cui latinum oe sono simillimum fuisse videtur, invenimus (*φῳδες:* foedus, a, um), ad quam diphthongum *ῳ* probandam etsi aliud exemplum nobis desit, tamen affinitas horum vocabulorum, quae *ῳ* et oe habent, et mutis consonantibus et significatione eadem satis defenditur. Cf. J. Grimm ibidem p. 538 et 539 poenus, pûnicus; mûnia: moenia; poena: pûnio; pûteo, foeteo, foedus. — Mutas consonantes *π–ϑ* ut in priore √πιϑ latinae f-d excipiunt: *πύϑω, φῳδες,* foedus, a, um; nonnulla latina p-t produnt (*πύϑω:* pûteo, putare); denique ut graeca *πάϑνη: φάτνη,* ita *πύϑω:* foeteo mutis inter se variant. Francum pôsi, nostrum böse est pro pôtsi, bötse; gothicum adjectivum, quod apud Ulfilam non reperitur, aut esset bauds, bôds, aut bausus, bausis. *Πυϑέσϑαι* autem, quod ut latinum putare eandem brevem vocalem habet, huc non pertinet et scr. √budh, nostris verbis biudan, piotan, bieten, Bote (=explorator, *πευσόμενος*) accensendum est. De literis adjectivi böse et reliquis germanicis cf. infra s. v.

# Vocabularium.

## A. **Verba** radicis $\varphi\iota\vartheta$.

Mutae $\pi$–$\vartheta$ ($\pi$–$\sigma$), goth. b-d, franc. p-t.

*Πιθεῖν, πείθω, πέποιθα.*

A) Principali ac naturali sensu est:

1) vincire, ligare. Cf. infra *σ-φίδη, σ-φίδες*, fidis, fidicula, fidelis, foedus, *φειδίτιον*, skr. √bandh, omnia germanica Ernestiique vocis explicationem: „binden, befeſtigen" apud Passov. s. v., ad quam ea, quae jam sequentur, *πεῖσμα, πείσα, πεισιήρ* arctissime se applicant. Altera significatio naturalis ab hac paullulo tantum distat; *πιθεῖν* autem porro est

2) res ita conjungere, ut arcte inter se cohaereant, i. e. claudere, in clauso asservare cf. infra *πίθος, φίδος, πιθάκνη, φιδάκνη*, fidelia, ae, Faß, Gefäß, *φειδωλός, φείδομαι*, reliqua.

Tum B) tropica vi est: animum alicujus quasi vinculo obligare, obstringere, devincire, plerumque verbis, precibus i. e. exorare (*θεοὺς*), persuadere (*ἄνδρα*), sed etiam aliis rebus ex. c. *ἀργυρίῳ, μισθῷ, χρήμασι; στρατιῶται μισθῷ πεισθέντες* sunt milites ad stipendia facienda mercede data obligati, mercenarii, conducticii (durch Sold an die Fahne gebunden, gefeſſelt). *Πείθεσθαι* est 1) religari. Suidas: *διὰ τὸ πείθεσθαι δι' αὐτῶν (πεισμάτων) τὴν ναῦν* i. e. quia navis per eos (funes) ad terram religatur cf. pag. 8 *πεῖσμα*. Deinde 2) mediali eoque tropico sensu est obstringi, vinculo quasi obligatum, alicui obnoxium esse, parere. Cf. infra lat. fidere.

Goth. bindan, franc. pintan, nostrum binden (Band, Banſen, Bund) literam epentheticam, de qua infra dicetur, habent, quae vocabulo Baſt deest, in skr. √bandh inest. Duae mediae consonantes in gothica, duae tenues in franca omnium maxime docent, genuinam graeci verbi *πιθεῖν* radicem duas aspiratas (*φιθ*) habuisse, quarum aut prior in tenuem (*πιθ*), aut posterior in mediam (*φιδ*) vertitur; de ea re infra s. v. *φιδάκνη, πιθάκνη* accuratius disputandum erit.

## B. **Nomina**, a √$\varphi\iota\vartheta$ orta.

Nomina significationem radicis eam, quae, quod sub sensus cadat, prima habenda est, diutius, quam verba ejusdem originis obtinent. Haec multo prius et saepius naturalem intellectum quasi derelinquunt et sensu non solum arctiore aut ampliore, sed etiam tropico eoque a naturali vi tam alieno usurpantur, ut, nisi nomina, ab eadem stirpe profecta, reperirentur, quid ab initio ipsum verbum valuerit, ne suspicari quidem possemus. Etiam in ipsa natura eae res, quae exsistunt sensibusque percipi possunt, formam suam habitumque maximam partem longius tempus possident tuenturque; eorum contra, quae fiunt, varium et mutabile semper est ingenium ac proprietas. Quae igitur est verborum indoles a nominibus diversissima, vis eorum naturalis postero linguae tempore haud raro mirum quantum immutatur obscuraturque. Inde potissimum factum est, ut in lexicis tot tropicae eorum significationes saepenumero enarrentur, ut, quae principalis, quae inter reliquas aut prior aut posterior sit, nemo recte concipiat. Ex. c. *πράττω* et facio, in quibus a primordio singularis certissimaeque cujusdam actionis sensum infuisse sine ulla dubitatione affirmaverim, recentioribus temporibus vim omnium verborum transitivorum ad se quasi arripuerunt. Ea igitur significatio, quae in lexicis s. v. *πράττω* et facio prima poni solet, omnium loco est ultima, tempore facile recentissima. Illud enim ne cogitari quidem potest, in ullius linguae ultimis originibus loquentibus opus fuisse verbo, quod non certam quandam actionem significaret, sed ea, quae reliqua verba transitiva valerent, cuncta in se uno contineret. Verbum *πιθεῖν* in eundem modum significationes suas dilatasse non dixerim; at persuadendi notio, quae apud H. Stephanum et reliquos primo loco adscripta est, neque est, neque esse potest principalis. Huc accedit, quod lexicographi omnes nominum, quae verbo

literis proxima sunt, nullam rationem habuerunt; nomina autem sensum suum non tam cito variant, quam verba. Quae cum ita sint, ut verbi *πιθεῖν* sensum principalem et naturalem recte nos modo constituisse demonstremus, a nominibus, quae a radice *φιθ* originem ducunt, exordiendum est.

*Πείσα, ἅπαξ εἰρημένον* apud Homerum, copula, vinculum. Hesychius *ἐν πείσῃ* verbis *ἐν ἡσυχίᾳ*, Eustathius vocabulo *πειθώ* explicat; haud aliter Passovius et editt. lex. H. Stephani; perperam omnes. Vox legitur apud Homerum Od. 20. 23.

*Τῷ δὲ μάλ' ἐν πείσῃ κραδίη μένε τετληυῖα.*

Passovius: „„Sein Herz blieb in Gehorſam, Ruhe.““ Sed cum hunc versum verba sequantur: *αὐτὰρ αὐτὸς* (corpus ejus) *εἰλίσσετο ἔνθα καὶ ἔνθα*, qui tandem fieri possit, ut hominis tam vehementer commoti, ut corpus huc illuc moveat, animus maneat tranquillus. Immovero *ἐν πείσῃ* significat in vinculis. Definitionem Eustathii et Hesychii alius scholiasta (cf. H. Stephan. lex. VI. 679. lin. 24) ita improbat, ut ipse vocem verbis „*ἐν δεσμοῖς ἦν*“ interpretetur. Qua re non solum significationem verbi *πιθεῖν*, primo loco a nobis supra adscriptam, defendere possumus, sed etiam versus, qui apud Homerum sequuntur, cum nostro arcte cohaerent. Sensus enim totius loci hic est: Pectus ejus sollicitum in vinculis manebat, sed, ut nimios animi motus coërceret, huc illuc corpus movebat. Simillima principalis significationis translatione germanice dicas: das duldende Herz war ihm zugeſchnürt, er ſelbſt aber warf ſich hin und her. Idem scholiasta si praeterea addidit: *κραδίη „ἐπείσθη“* (= pectus ejus vinctum erat), cum persuadendi notio huc omnino non quadret, verisimillimum est, ipsum verbum *πιθεῖν* ejus tempore etiam significasse: vincire, vinculo obstringere. Si et alias verba *ἀργυρίῳ, μισθῷ, χρήμασι* adjiciuntur, ea luculenter docent, *πιθεῖν* hic non esse persuadere, vel, ut editt. lexici ab H. Steph. conditi volunt, pellicere, sed aliquem quasi vinculo i. e. pecunia data ita obstringere, ut nobis serviat, obnoxius fiat i. e. mercenarius, conducticius.

*Πεῖσμα*, copula, vinculum, funis cf. infra cognata vocabula *σφίδη*, fidis, fidicula, Baſt, Band, Bund, Feſſel, reliqua. Si Suidas dicit appellata esse *„πείσματα διὰ τὸ πείθεσθαι δι' αὐτῶν τὴν ναῦν*, ita haec verba explices necesse est, quia navis per eos (funes) religatur (ad terram). Editt. lex. H. Steph. latine vertunt: „„quia ita navis per eos velut gubernatori (?) paret.““ Gubernatori quidem navis paret, vel vento velisque; at quis est, qui dicat: navis funibus paret, vel per funes gubernatori? Hoc loco ipsum verbum naturalem suam vim adhuc possidet, in quotidiano sermone Suidae tempore fortasse haud raram. Caeterum si Suidae animo id, quod doctiss. illi viri contendunt, obversatum esset, *αὐτοῖς*, non *δι' αὐτῶν* dicendum ei erat. *Πείθεσθαι* igitur hic non mediali, sed passivo eoque naturali religandi sensu accipiendum est. Huc accedit, quod *πείσματα* a principio haudquaquam, ut Suidas opinari videtur, retinacula sunt navium, sed copulae, vincula, funes in universum, quod idem *πιθεῖν* ab initio valet. cf. ex. c. Hom. Il. 10. 167.

*Πεῖσμα δ' ὅσον ὄργυιαν ἐϋστρεφὲς ἀμφοτέρωθεν*
*Πλεξάμενος συνέδησα πόδας δεινοῖο πελώρου.*

*Πειστήρ.* Apud H. Stephanum: „1) Persuasor 2) *ὑπήκοος*.“ At tertia quoque reperitur vocis significatio eaque his duabus multo antiquior et ob eam rem pro principali habenda. Locus, a Passovio allatus, qui est apud Theocritum 21. 58, aut editt. lex. H. Steph. fugit, aut aliter eum legunt. Verba autem:

*Καὶ τὸν (ἰχθὺν) μὲν πειστῆρσι κατῆγον ἐπ' ἠπείροιο*

optime se habent et ita vertenda sunt: et hunc funibus subduxerunt ad terram. Haec tertia nominis vis ad principalem verbi *πιθεῖν* significationem se adjungit et eam insuper confirmat. Quo tempore ipsum *πιθεῖν*, naturali sensu de-

posito, ad alia significanda translatum est, eodem, aut, id quod verisimilius est, aliquanto post nomina quoque πεῖσμα, πειστήρ in alias significationes abierunt; πείσα, quod naturali vi se quasi abdicare nollet, ob id ipsum ita obsolevit, ut in libris posthac non inveniretur; in quotidiano sermone fortasse etiam recentioribus temporibus vox non erat inaudita. Ex hoc quotidiano nautarum sermone etiam Theocritus nomen πειστήρ (Seil, Strick) sumpsisse videtur; apud reliquos enim auctores jam aut persuasorem, aut obnoxium significat. Verumtamen etiamsi nomina quoque sensum suum naturalem nonnunquam immutant, tamen eum aut solum, aut minus obscuratum diutius, quam ejusdem radicis verba obtinere solent. Si igitur lexicographi et graeci et latini in indaganda principali vi, quae in verbis πιθεῖν et fîdere et in iis, quae inde proficiscuntur, inest, ita processissent, ut nominum significationes prius, quam verborum spectarent, non quidem citius, at certius sane eo, quo tenderent, pervenissent, neque vero „persuadendi“ sensu tanquam naturali constituto, haec tria nomina πείσα, πεῖσμα, πειστὴρ a verbo πιθεῖν, quocum literis arctissime conjuncta sunt, plane sejunxissent. Ab initio autem ut ab his nominibus persuadendi vis longissime abfuit, ita et ab ipso verbo πιθεῖν, quod posthac prius quam nomina ad alias significationes transferri coeptum est. Persuadendi notio, quae in lexicis prima legitur, tropica est. „Tropus autem“, Quinctilianus ait, „sermo est a naturali et principali significatione translatus ad aliam.“ In ipso verbo significationis naturalis vestigia nonnulla supra indagavimus; qualis ea fuerit, his tribus nominibus, de quibus sermo erat, ita perspicuum fit, ut res in dubium vocari non queat. — Jam vero vocabula graecae √πιθ enarranda sunt ea, quae non, ut superiora, mutas π-θ (π-σ), sed φ-δ (φ-σ) habent, in quarum locum in latina lingua f-d (f-s) succedunt.

Mutae √φιθ consonantes φ-δ et f-d.

Φιδάκνη, fidelia, ae, φισάκνη: πιθάκνη, πίθος (φίδος) cf. infra etiam σφίδη s. v. fidis.

Haec nomina in tota hac quaestione cum maximi momenti sint, tum ad constituendam et vocem et significationem radicis φιθ vocabulorumque graecae et latinae linguae inde derivatorum plurimum habent auctoritatis ac ponderis. Si enim duo ejusdem linguae verba literis inter se congruunt, nemo erit, qui ea inter se cognata esse neget, etiamtum si neque tertium quod vocant comparationis i. e. significationem utrisque ab initio communem investigare, neque allatis exemplis principalem eorum usum demonstrare possit. Atqui voces πιθεῖν et πίθος, quae diversissima quaeque denotare in lexicis traduntur, literis inter se accuratius consonare nequeunt; efficitur ergo, a primordio ut idem valuerint. Haec si quis non concesserit, restat, ut πιθεῖν et πίθος homonyma esse i. e. licet sint iisdem literis, tamen diversam originem prodere contendat. Verumtamen ad illud extremum atque ultimum consilium etymologo, nisi omni spe comparandi ad irritum redacta abjectaque, decurrere non licet. Graeci autem lexicographi nomen πίθος a verbo πιθεῖν, literis plane eodem, in communi utriusque origine investiganda, quod equidem sciam, ne periculo quidem facto, prorsus separaverunt et, quae principalis verbi πιθεῖν significatio fuerit, nihil curantes, tropicam quandam primo loco adscribunt. Idem de latinis lexicographis dici potest, qui ab hac √πιθ non solum vocabula fidelis, fidicula, alia sejunxerunt, sed etiam fidelis, e et fidelia, ae homonyma esse credunt. Quod si πιθεῖν a principio idem, quod latinum persuadere, valeat, πίθος contra vas, dolium significet, mira profecto exsistit literarum communio, significationis summa diversitas. In dirimenda hac tanta vocis literarumque et intellectus controversia nobis periclitandum esse rati, mutis vocabulorum consonantibus in ea re quasi ducibus utemur.

Sunt, qui πίθος cum vocibus πύνδαξ et πυθμήν conferant, sed in hac diversissimarum vocalium differentia, num recte eas comparent, maximopere addubitandum est. Contra ea si Passovius (s. v.) a Buttmanno dicit πίθος ad φίδος referri, doleo me nescire, ubi et quibus rationibus adductus doctiss. ille vir affinitatem horum nominum docuerit. Id enim ipsum et nobis demonstrare in animo est, in graecis vocabulis, quae a √πιθ et πῦθ i. e. πιθεῖν et πύθειν oriantur, mutas consonantes π-θ et φ-δ inter se variare, quae res latina lingua maxime fulcitur. Latina enim, quae a √πῦθ originem ducunt, mutas aut p-t, aut f-d habent; omnia autem latina, quae ad alteram √πιθ pertinent, solis mutis f-d scribuntur. Literarum igitur si rationem habeas, cum neque πίθος a πιθεῖν, neque πιθάκνη a φιδάκνη (=fidelia, ae), quibus duabus formis Graeci promiscue utuntur, secerni possit, palam est, radicem non esse aut πιθ, aut φιδ, sed simillimam hic reperiri aspiratarum consonantium permutationem atque in vocabulis θάπτω: ἐτάφην; θρίξ: τριχός; χιτών: κιθών. Radicis genuinae φιθ duarum aspiratarum aut prior in tenuem (πιθεῖν, πίθος, πιθάκνη, πεῖσμα), aut posterior in mediam (φίδος, φιδάκνη, σφίδη, fidis, fidiculae) mutatur. Illud (π-θ) in graeca lingua magis usitatum est; attamen etiam fit, ut aspiratarum posterior, ne duabus aspiratis, quae eandem syllabam et inchoent et claudant, aures Graecorum, in ea re satis religiosae, laedantur, in mediam consonantem (φ-δ) vertatur **). Haec altera formula latinae linguae tam propria est, ut in √πιθ eam solam agnoscat; alterius √πῦθ nonnulla sunt vocabula, quae, ut modo dictum est, p-t habent, cum reliqua easdem illas mutas f-d (f-t) ostendant. In graeca lingua plerumque tum, cum plures aspiratae consonantes male sonarent, aut in diversis ejus dialectis, sed non ita crebro fit, ut radicis mutarum consonantium altera alteram loco pellat et ejus sedem occupet; in gothica contra et aliis germanicis linguis idem, ut formula et exemplis pag. 2. adscriptis demonstratum est, persaepe vel potius usu et ordine certissimo evenire solet.

Nihil autem inter nostram mutarum formulam π-θ: φ-δ et inter Buttmanni praeceptum, de eadem re in gr. Gram. § 18. Nro. 2. propositum, intercedit discriminis, nisi quod ille eam mutarum consonantium vicissitudinem non commemoravit, per quam radicis aspiratarum altera, in quam radix desinit, non tenui, sed mediae consonanti cedit. Latinam linguam si Buttmannus ad comparationem adhibuisset, certo alteram mutarum seriem φ-δ detexisset; latina enim a √πιθ orta f-d habent cuncta. Porro si germanicas linguas a comparatione non plane exclusisset, fortasse et genuinam graecae radicis formam φιθ conjectura assecutus esset. Duae enim mediae consonantes in gothica (bindan), duae tenues in franca (pintan) luculenter docent graecam radicem ab initio duas aspiratas (φιθ) habuisse, quae cur in graeca lingua in alias ejusdem generis consonantes permutentur, grammatici graeci omnes docere solent.

Quae igitur, ut posthaec in singulis vocabulis accuratius legentibus probemus, jam nunc sumimus, tria sunt. Primum πίθος a πιθεῖν sejungere non licet; deinde cum pro πίθος, πιθάκνη etiam φίδος, φιδάκνη locuti sint et omnia latina hanc alteram mutarum consonantium seriem sequantur, in his omnibus vocabulis √φιθ latet; postremo in tanta literarum convenientia, quae est inter πίθος et inter πιθεῖν, ea graeci verbi significatio, quae in lexicis vulgo primo loco legitur, principalis neque est, neque propter nominum a verbo derivatorum sensum prima cogitari potest. Gravissimam igitur legem etymologicam de mutarum vicissitudine a Jacobo Grimm

**) Sanscrita lingua cum in duabus ejusdem radicis aspiratis eandem legem atque graeca observet, verisimile est, scr. bhandh, non bandh genuinam esse formam. At quae est nostra hujus linguae imperitia, eam rem aliis dijudicandam relinquimus.

latam secuti nominumque, quae diutius quam verba naturalem radicis intellectum tuentur, significatione freti, verbi *πιθεῖν* principalem ac naturalem sensum pag. 7 ita constituimus, ut aut 1) vincire, ligare (*πείσα, πεῖσμα, πειστήρ*), aut levissimo significationis in alteram eandemque naturalem transitu 2) ligare, arcte conjungere, claudere, includere, in clauso asservare denotet (cf. infra gr. et lat., quae *φ-δ* et f-d habent, imprimis fidelis, e). Hoc ipsum alterum nomina quoque valent, de quibus sermo est:

*Πίθος* (*φίδος*), *πιθάκνη, φιδάκνη*, fidelia, ae, *φισάκνη* est: 1) clausum, Verſchluß, verſchloſſenes Behältniß; 2) singillatim vas operculo arcte clausum, (cf. Passov. s. v.); tum in universum dolium, vasculum, pocula, alia ejusmodi suppellex fictilis, vitrea et inclusa re et usu quotidiano diversissima. In his doliis, vasculis vinum (ein Gebind Wein?) plerumque inerat, sed etiam multae aliae res, ex. c. fici, pigmenta (cf. Freund. lex. „duos parietes de eadem fidelia dealbare"), salsamenta, reliqua. Supellex igitur erat operculo clausa et varia forma, dolio, vasculo, ollae, poculo similis, in qua diversissimae res, ut, cum usus posceret, inde promi possent, asservabantur. cf. infra *φειδωλός* (= Schleißerin). Quodsi Aristophanes Equit. 792. dicit: *δῆμον ὁρῶν οἰκοῦντ' ἐν ταῖς πιθάκναισι — οὐκ ἐλεαίρεις*, vocem recentiores interpretes pro doliis accipiunt, in quo Thucydidem auctorem sequi videntur, qui Athenienses hostium metu commotos ex agris Athenas liberos et conjuges transportasse omnes (II, 14) refert, ita ut, necessitate coacti, in angustissimis locis, quae poëta licentia comica exaggerans *πιθάκνας* nominat, habitarent. Cum in radice claudendi insit notio, quo jure scholiastae *πιθάκνας* „deserta loca" esse dicant, non intelligimus, nisi quod verisimile est, eos ad hanc vocis interpretationem additis verbis *γυναρίοις καὶ πυργιδίοις*, quae tale quid significant, inductos esse.

Videmus, haec nomina *πίθος, φίδος, πιθάκνη, φιδάκνη*, fidelia, ae in hac quaestione tam gravia esse, ut fieri non potuerit, ut in transitu leviter ea attingeremus; de reliquis brevius disputabimus, sed ita, ut legentes et in latinis et in graecis ad ea relegemus. — Jam vero ad nomina *φειδωλὸς* et *φειδίτιον* transgredimur, quae easdem literas *φ-δ* habent, vocalibus sunt prima specie diversis, re ipsa legitimo quodam modo variatis. cf. de vocalibus infra s. v. *φείδομαι* in extremis.

*Φειδωλός, όν.* Passovius: „„ſchonend, ſparſam, karg; *γλῶσσα*, eine ſparſame (?) mäßige (?) Zunge."" At *γλῶσσα φειδ.* passivo sensu est lingua quasi vincta, clausa i. e. retusa, eine gefeſſelte Zunge et *ἡ φειδωλὸς* ea mulier, quae res ad quotidianum usum necessarias in fideliis (*φιδάκναις, φίδοις, πίθοις*) includit, in clauso asservat. Apud nostrates eadem nomine licet alio, tamen ab eadem re petito, Schleißerin, Schleißern vocatur. Quae igitur modo de intellectu nominum, quae hoc antecedunt, diximus, *πιθάκνας, φιδάκνας, πίθους*, fidelias esse vasa, doliola, clausa, in quae variae res ad victum necessariae, ne aut depraventur aut surripiantur, includi soleant, ea omnia etiam in eam mulierem, quae graece *φειδωλὸς*, latine conda proma, germanice Schleißerin vocatur, cadere videmus. Locus igitur apud Lysiam (J. Bekker I. pag. 162): *ἐν μὲν τῷ πρώτῳ χρόνῳ, ὦ 'Αθηναῖοι, πασῶν ἦν (ἡ ἐμὴ γυνὴ) βελτίστη, καὶ γὰρ οἰκονόμος δεινὴ καὶ φειδωλὸς ἀγαθὴ καὶ πάντα ἀκριβῶς διοικοῦσα* — bene se habet, neque ulla est caussa, cur, id quod contra J. Bekkerum Klotz (in eph. Lipsiens. a Jahnio conditis LXXI. B. p. 800) suadet, post vocem *φειδωλὸς* comma ponamus. Klotz, qui, ut reliqui, parcendi notionem in voce tanquam principalem subjectam esse falso opinatur, locum ita germanice interpretetur necesse est: denn ſie war eine tüchtige und ſparſame Wirthin, gut und Alles ſcharfſichtig anordnend. At cum Lysias mulierem modo dixerit optimam, qui fieri possit, ut

uno tenore, ut ajunt, eam appellet bonam. Deleto rursus commate, ita germanice vertendum est: denn theils war ſie eine gewaltige Wirthin, nicht minder eine treffliche Schleißerin. Hoc loco ἡ φειδωλὸς substantivum est, non, ut alias, adjectivum et, ut concinna fiat oratio, duobus substantivis οἰκονόμος et φειδωλὸς duo attributa adduntur. Quomodo vocabuli significatio, qua est 1) pro claudente, aut pro clauso, vincto, posthac levissima ejus mutatione in notionem 2) parsimoniae abierit, infra s. v. φείδομαι disseretur.

Φειδίτιον, φειδίτειον, φιλίτιον cf. infra idem lat. vocab. foedus, eris. Passovius ob parsimoniam publica civium convivia φειδίτια appellata esse dicit. Ut reliqui, ita et ipse a verbo φείδομαι, non a nominibus comparandi initium capit et parcendi vim tanquam naturalem ei subjungit. Sed φειδίτιον idem est verbum atque latinum foedus, eris (φ-δ = f-d), pro quo apud Ennium, ita ut litera literae accuratissime respondeat, etiam fîdus, eris invenitur, et, parcendi notione omnino exclusa, significat: 1) foedus i. e. Band, Bund; καὶ' ἐξοχήν 2) foedus, sodalicium Spartanorum convivale i. e. publica civium convivia, den Eßbund, die geſchloſſene Tiſchgeſellſchaft aller Bürger; 3) locum, ubi coenarent.

Lycurgum, ut cives sui lautis et apparatis epulis abstinerent et cuncti, reliquis, qui cives non essent, remotis, eidem omnibus communi coenae interessent, lege sanxisse notissimum est. Qua re non tam illud spectavit, ut parsimoniae cives assuefaceret reique eorum familiari consuleret, quam ut corpora et animi delicatioribus cibis ne enervarentur, neve ipsi luxuria diffluerent. Spartanos robusto corpore praeditos, manu fortes, ad venandum bellumque gerendum paratissimos fuisse scriptores veteres omnes referunt. Haud facile igitur cuiquam fidem feceris, in conviviis suis publicis eos cibis ita pepercisse, ut ea ipsa a parsimonia nomen duxerint. Porro φειδίτια etiam συσσίτια, apud Cretenses ἄνδρια, ἀνδρεῖα vocantur. In his synonymis ne vestigium quidem ejus significationis, quam in voce φειδίτιον lexicographi latere credunt, indages. Alterum enim significat, omnes cives eidem coenae interfuisse, quod idem φειδίτιον i. e. sodalicium civium una coenantium nos dicimus significare; alterum, exceptis virilis sexus civibus, nulli ad ea publica convivia aditum patuisse. Quae cum ita sint, sententiae de naturali hujus nominis significatione vulgo traditae fidem derogandam esse rati, „parcendi“ notionem ab eo longissime abesse contendimus; φειδίτιον enim a latino nomine foedus, fîdus, eris, in quo parcendi significationem inesse nemo dicet, neque literis neque sensu distrahi potest. Quodsi praeterea verum est, in primaria vocabulorum vi indaganda a nominibus ad verba, non a verbis, quae intellectum suum crebro varient, ad nomina progrediendum esse, ob id ipsum etiam illud nostro nobis jure dubitare videmur, num verbum φείδομαι, a quo φειδίτιον sejungere absonum est, ab initio parcere significarit.

Caeterum si hic φειδίτιον et foedus, fîdus, eris et alias alia vocabula latina et graeca inter se cognata esse dicimus, non veremur, ne ii, qui legunt, quam veteres grammatici latini ex. c. Varro, Festus, Gellius de ea re sententiam tulerunt, in eandem et nos discedere arbitrentur. Hi ejusmodi vocabula ex graeco in latinum sermonem translata esse opinati sunt; quae opinio falsa est ac plena erroris. Sunt sane in auctorum latinorum libris verba ex graeca in alteram linguam translata, sed ea, cum latina non sint, cognata appellari non possunt; immovero graeca sunt, recentiore tempore in latinum sermonem invecta (Lehnwörter). Cognata autem quae appellantur, ab iis, qui, priscis sedibus relictis, in Italiam migraverunt, ultimis temporibus eo translata sunt. Latina lingua longo temporis intervallo et sua ipsius vi intrinsecus se movente et per italicas dialectos posthac immutata est; veruntamen in ea vocabulorum grae-

cae et latinae linguae ab origine communium radices permultae tantum firmamenti ac roboris habuerunt, ut nunquam exstirpari potuerint. Hujusmodi igitur vocabula cum utrique linguae ab initio communia et tam propria fuerint, ut de eorum translatione ex altera in alteram cogitare non liceat, quale postea fuit linguae latinae ingenium, a graecis partim literis, partim intellectu distant. In universum quidem utramque linguam easdem mutas consonantes ostendere diximus, sed aspiratarum consonantium conditionem etiam in radicibus non eandem fuisse, eae ipsae radices, de quibus hic sermo est, documento sunt. De graecis hujus √πιθ vocabulis extra mutas π–θ nonnulla tantum φ–δ habent, latina contra f-d omnia possident. Graeca mutis φ–δ scripta, exceptis nominibus φειδίτιον et ὀφίδη, claudendi, in clauso asservandi notionem in se continent cuncta, de latinis, si unum fidelia, ae excipias, nullum; reliqua enim latina ad vinciendi, ligandi vim, quae quidem ad alteram proxime accedit, se applicant. Vocabula contra, quae e graeco in latinum sermonem recepta et latina quasi civitate donata sunt, graecorum et vocem et significationem retinent et literis scribuntur aut graecis, aut latinis ad graecas, quoad ejus fieri posset, maxime accomodatis. In nonnullis concedimus ambigi, cognatane sint, an recepta. — His argumentis eorum simul refutata est sententia, qui latinam linguam quasi pro filia, quae graecae tanquam matris beneficio vocabula sua possideat, habendam esse dictitant; graeca enim non est mater, sed si verbo venia datur, soror latinae linguae, et sua ipsius proprietate et admixtis italicis vocabulorum radicibus ab altera haud raro dissentientis. Sed haec hactenus.

*Φείδων* est suppellex quaedam, cujus collum tam arcte clausum, tam angustum erat, ut olei inde non plus, quam ad alendam flammam opus esset, emanare posset; germanice est Delſchließer, tum si mavis, Sparlampe.

*Φειδώ*. Etiam de hujus vocabuli notione, quam vulgo tradunt, controversia est. Passovius *φειδὼ νεκύων* germanice vertit „Schonung der Todten" et locum in lexico suo adscribit, qui est apud Homerum Jl. 7, 409. Agamemnon Idaeo occisorum militum cadavera exposcenti inter alia haec respondet:

*οὐ γάρ τις φειδὼ νεκύων κατατεθνηώτων*
*γίγνετ', ἐπεί κε θάνωσι, πυρὸς μειλισσέμεν ὦκα.*

At numnam ii, qui mortuorum cadavera non comburunt, his parcere a Graecis dicebantur? Illud profecto Graecorum pietati, in ea re religiosissimae, tam est contrarium, ut, quod magis sit repugnans, excogitari nequeat. Achillis nefario modo in occisum Hectorem saevientis furorem dii ipsi indignabundi improbant Priamumque ob id maxime sollicitum nuntio misso, quid ei agendum sit, edocent. Quo tandem modo Agamemnoni venisset in mentem respondere Idaeo, mortuis parci cadavera non comburendo?

Quamobrem ad naturalem hujus √πιθ sensum nobis recurrendum esse rati locum ita explicemus: nulla enim fit a nobis mortuorum cadaverum inclusio, quin, quoniam (da ſie ja?) mortui sunt, igni eos placetis i. e. non impedimus cadaveribus includendis, in clauso retinendis, quominus, quoniam mortui sunt, justa iis conficiatis. Agamemnon igitur his verbis dicit, licere Trojanis mittere, qui de interfectis militibus suos eligant et, ut domi comburant, Trojam reportent, id quod brevi post evenisse poëta ipse refert. Verba *ἐπεί κε θάνωσι* addit, ut Graecorum summam erga mortuos reverentiam ac religionem declararet. Hostes enim, qui vivi capti sint, nisi mercede data, jus ac fas haberi non remittere, occisorum contra militum cadavera includere, retinere, ne justa iis solvantur, omnibus divinis juribus esse contrarium. Facile fieri potest, ut etiam nostra hujus loci interpretatio aliis non probetur, sed parcendi notio (cf. Passov. s. v.) quomodo hic in nomine *φειδὼ*, si cum lexicographis casum genitivum

νεκύων ab eo rectum putes, insit, nihil nos perspicimus.

Alio loco (Hom. Od. 6. 315) φειδὼ num jam alteram recentiorem parcendi significationem habeat, dubii sumus. Οὐδ' ἔπι φειδὼ latine fortasse est: ne ulli quidem rei parcunt. Sed etiam hic claudendi, in clauso asservandi notio subest. Res enim ad victum necessariae quamdiu in fideliis, φιδάκναις conditae sunt, dilapidari non possunt. Poëta igitur his verbis significat, clausa ab hospitibus, ut, quaecunque liberet, inde promerent, vi adhibita, reclusa fuisse. Atque adeo si locum naturalem vocis vim respiciens, germanice exponas: „die Freier zehren Alles auf; nicht einmal Schloß und Riegel iſt vorhanden, nichts iſt unter Verſchluß, hinter Schloß und Riegel, illud neque sensui, qui in verbis subest, adversatur, et naturali hujus √πιθ significationi maxime conveniens est. Praeterea φειδὼ (Schloß, Riegel) ab voce φειδωλὸς (Schließerin) distrahere non licet; φειδωλὸν autem mulierem supra docuimus esse eam, quae nostra lingua Schließerin vocatur et res ad victum pertinentes, de quibus hic sermo est, in clauso (φίδοις, φιδάκναις) custodit. Quapropter φειδὼ haud scio an ab initio et fortasse etiam hoc loco, ex Hom. Odyssea citato, claustra (Band, Riegel, Schloß) ita significet, ut ad claudendi notionem, plerisque vocabulis, quae φ-δ habent, a primordio peculiarem, se applicet. Denique ubi per nomina, quae φ-δ ostendunt, ut par erat, prolusum est, jam ad ipsum verbum φείδομαι transimus; tum de latinis, quae idem illud f-d cuncta produnt, disputabimus.

Φείδομαι, φίδομαι, πεφιδέσθαι. Passovius verbum germanice vertit: „ſchonen, ſparen." At si cognatorum nominum, quae est eorum indoles, ante omnia rationem ducimus, ea verbi vis pro naturali putanda non est. Quid φείδομαι ab initio valuerit, versus verisimile reddunt, qui in Homeri Il. 24, 228—236 leguntur. Priamum postquam poëta cistarum opercula aperuisse (φωριαμῶν ἐπιθήματα κάλ' ἀνέῳγεν) et multas inde res pretiosissimas deprompsisse dixit, ita pergit: οὐδέ νυ τοῦπερ φείσατ' ἐνὶ μεγάροις ὁ γέρων, πέρι δ' ἤθελε θυμῷ λύσασθαι φίλον υἱόν i. e. de hoc igitur nihil in suum usum in cistas clausit, clausum asservavit, sed quaecunque inde exemerat, iis filium redimere gestiebat. Quod hic poëta Priamum inducit agentem, simillimum est negotio ejus mulieris, quae φειδωλός vocatur. Nobis quidem haec nostra loci explicatio ad principalem verbi φείδεσθαι notionem magis accomodata et respectu nominum cognatorum verior esse videtur. **) Porro ut casum genitivum omittamus, quem, si φείδομαι ab initio parcere significaverit, quomodo explicemus, ignoramus, parsimoniae notio per se non est ea, quae in ulla lingua pro principali ac naturali existimari possit. Tum et graeca et latina nomina, quae, iisdem literis φ-δ et f-d scripta, aut vincire, ligare, aut arcte conjungere, claudere, clausum habere significant, testimonio sunt, claudendi, in clauso asservandi notionem etiam in verbo φείδομαι inhaerere. Denique nostro loco quae Priamus agit, eadem curare ejus potissimum est mulieris, quae

**) Possis quidem verba ita latine vertere: „rebus ex cistis depromptis non pepercit"; sed tum additae voces ἐνὶ μεγάροις leviora forent et fere inania. Quid est illud: non pepercit rebus in conclavi? domi? Quo tandem loco iis parcat, si non in conclavi, domi? Atque adeo hoc additamentum, sive nobiscum, sive cum reliquis locum interpretatus eris, ita friget, ut dubitemus, num μέγαρα hic, ut alias, maximum aedium regiarum conclave significent. Μέγαρα templorum quoque loca sunt secretiora. At hic de rebus pretiosissimis sermo est; eae in occultis, secretis domus partibus asservari solent. Eo praeter Priamum nemini aditus patebat; senex enim ipse ex cistis (φωριαμοῖς i. e. clausis, in occulto loco, ubi res a furibus tutae essent, positis) omnia exemerat. Germanice igitur haud scio an vertendum sit: „aber nichts davon ſchloß der Greis für ſeinen Gebrauch in die geheimen Orte, Fächer ein ꝛc." Numquid scholiastae ad vocem μέγαρα fortasse adnotent, nescire me doleo.

res pretiosas, aut ad victum necessarias in cistis, vasis, fideliis custodire solet.

*Φείδομαι* igitur est 1) sibi, in suum usum de aliqua re (*τινος*) claudere, condere, qua re et casus genitivus, quem verbum regit explanatur, et communio et consensus ipsius verbi et nominum *φιδάκνη*, fidelia, *φειδωλὸς*, *φειδὼ*, quae easdem mutas produnt, comprobatur; tum est 2) levissimo significationis transitu parcere. Verbum de rebus ad usum quotidianum pertinentibus ante omnia usurpatum esse, Passovius rectissime dicit; sed hac ejus sententia significatio hujus √*πιϑ* secundo loco a nobis pag. 7 adnotata multo etiam verisimilior fit; nisi enim ejusmodi res in fideliis, clausis condantur, parci iis non potest. Graeci si posthac etiam *κινδύνου φείδεσϑαι*, alia locuti sunt, ea est significatio translata et tam audax, ut in ea locutione naturalis tota fere exstincta sit. Tertium quod vocant comparationis, quo illae duae claudendi et parcendi significationes contineantur, ultro offertur etiam non quaerenti. Quapropter nomina *φειδὼ*, *φειδωλὸς*, *φείδων* parsimoniam quoque, parcum, supellectilem significant arte et consilio ita comparatam, ut, qui ea utatur, oleo parcat. De nomine *φειδίτιον*, quod latinum est foedus, fidus, eris, idem dici non potest; ab eo enim, ut ab latino nomine, parcendi notio longissime distat. Ipsum *φείδομαι*, quae est verborum indoles nominibus contraria, omnium primum naturalem deposuit sensum et in parcendi notionem abiit totum.

Denique cum media et deponentia verba activum quoddam genus in ultima antiquitate habuerint omnia, quaeritur, num verbi *φείδεσϑαι* activum genus ita evanuerit, ut ne vestigium quidem ejus in lingua graeca supersit. At ni omnia nos fallunt, non est, quod remotiora quaeramus; hoc enim genus activum ipsum est nostrum *πιϑεῖν* idque naturali significatione ea, quam secundo loco supra adscripsimus. Si enim formas:

| | | |
|---|---|---|
| *πείϑομαι* | *ἐπιϑόμην* | *πιϑέσϑαι* |
| *φείδομαι* | *πεφιδόμην (πεπιϑεῖν)* | *πεφιδέσϑαι* |
| | *πεπίϑοιτο* | |
| | *πεφίδοιτο* | |

inter se comparamus, in his eandem mutarum consonantium vicissitudinem atque in vocibus *πίϑος*, *φίδος*, *πιϑάκνη*, *φιδάκνη* et tam singularem et vocalium et terminationum congruentiam invenimus, ut verisimillimum fiat, in his omnibus unam eandemque radicem latere. Haec nostra conjectura si vera est, ita res se habet. Radix ipsa duas habet aspiratas consonantes, quarum altera syllabam inchoat, altera claudit. Ejusmodi aspiratarum conjunctio cum Graecis inusitata esset, ex una eademque radice magna formarum et vocabulorum copia ita excrevit, ut altera *π–ϑ*, altera *φ–δ* haberent. Activo verbi generi propriae sunt mutae *π–ϑ*, medio generi *π–ϑ* et *φ–δ*. Activum a principio significat A) vincire, ligare; huc significatione sua *πείσα*, *πεῖσμα*, *πειστὴρ*, de iis, quae *φ–δ* ostendunt, *φειδίτιον* et latina (f-d) fere omnia, germanica cuncta pertinent. Eodem passivum *πείϑεσϑαι* referendum est, quod primo est a) religari, tum mediali eoque tropico sensu b) vinculo quasi obstringi, alicui obligatum esse, parere. Ipsius activi verbi B) altera significatio, qua claudere, in clauso asservare significat, apud graecos auctores nusquam reperitur; sed eam de latinis nomen fidelia, ae et graeca, quae mutis *φ–δ* scribuntur, fere omnia ipsumque medium *φείδομαι*, quod est de aliqua re sibi claudere, testificantur. Postquam in iis, quae *φ–δ* habent, parcendi notio sensim sensimque obtinuit, tum Graeci *πείϑεσϑαι* et *φείδεσϑαι*, quorum verborum formae apud antiquissimos auctores mirum in modum consentiunt, oblitterata ejusdem originis memoria, pro diversis putaverunt secreveruntque. Nomina *πίϑος φίδος*, *πιϑάκνη φιδάκνη* quamquam et ipsa mutas suas consonantes aeque variant, tamen naturalem suum intellectum fortius tanquam defendunt.

Quodsi Weberus Halensis, Georgii Curtii sententiam secutus, nonnunquam accidere **) dicit, ut ex una eademque radice, si vocales ejus aliquantulum inter se permutentur, duae quasi radices exoriantur eaeque significatione paullulum diversa, hoc idem in consonantibus hujus √πιθ factum esse existimamus, ita ut *πείθομαι* et *φείδομαι*, quae ex uno eodemque fonte fluxerunt, posterioribus temporibus, tanquam diversae essent originis, diversa quoque significarent.

Hucusque de radicis *πιθ* consonantibus solis disseruimus. Si cui, qui germanicae grammaticae non peritus est, in his vocabulis vocalium *ει* et *ι* varietas dubitationem quandam moveat, eum ad graecam grammaticam ablegamus; germanicae qui gnarus est, ea re offendi non potest. Si vero seriem vocalium, quae in verbo *πιθεῖν*, *πείθω*, *πέποιθα* reperitur, in memoriam tibi revocaveris, eandem in his, quae *φ–δ* scibuntur, invenies, nisi quod diphthongum *οι*, quae est in cognato latino foedus, eris, de graecis habet nullum. Latinae linguae grammaticos scimus Quinctilianum probare auctorem, cum docent, eandem literam, prout correpta vel producta est, alium atque alium facere intellectum; recte quidem. Veruntamen si secundum hoc Quinctiliani praeceptum vocabula *φιδάκνη*, *φειδωλός*; fidelis, fîdus, a, um; fides, fîdere; sedeo, sêdes, is, sîdo; rego, rex, rêgis; odium, ôdi; fodio, fôdi, alia et verba et nomina aut sejungunt aut eam vocalium vicissitudinem pro illegitima habent, non suo jure id faciunt. Est enim legitima quaedam et ordinaria vocalium ejusdem radicis varietas non solum in verbis, sed etiam in nominibus eaque in latinis rarior, in graecis haud infrequens, in germanicis usitatissima, certissimaque lege, quam Jacobus Grimm nostra lingua Ablaut appellavit, definita ac circumscripta. Qui germanicae grammaticae, non ejus quidem, quae olim circumferebatur, sed hujus novae non imperiti sunt, quid de hac vocalium etiam latinarum graecarumque permutatione nos statuamus, probe sciunt. Si enim formae ejusdem radicis vocali aut correpta aut producta inter se differunt, ea non pro illegitima vocalium permutatione, quae aliam radicem prodat aut sensum plane immutet, putanda est, sed illud, ut in sexcentis germanicis et verbis et nominibus, ita et in latinis graecisque lege et ordine fieri solet. Quae qui recte animo conceperit, non solum in formis

*πιθεῖν* *πείθομαι* *πέποιθα*

*πεφιδέσθαι* *φείδομαι* (foedus), sed etiam in nominibus;

*φιδάκνη*, *πιθάκνη*; *πειθώ*, *φειδώ*

fidis, fidelis, fidelia; fîdus, fîsus; foedus, eris legitimam vocalium permutationem inesse intelliget. Hoc germanicae grammaticae praeceptum, quod non solum in nostra, sed etiam cum in latina, tum in graeca summi est momenti, si gymnasiorum magistri superioribus temporibus, quibus in vulgus nondum innotuerat, nihil fere respexerunt, non habemus, quod miremur; at nunc suo quisque periculo ejus rei inscitiam aut ipse confiteatur, aut defendat necesse est. Sanscritani, qui legem de consonatium literarum et communione et vicissitudine, a Jacobo Grimm latam, receperunt, in definienda vocalium radicis ratione ab illo viro aliquantulum discedunt; sed discrimen in verbis magis, quam in re est positum; utrique enim in eo, quod omnium longe gravissimum est, consentientes, docent, in cognatis ejusdem radicis vocabulis vocales non semper esse easdem, sed legitime et certo quodam ordine et in verbis et in nominibus inter se variare. Quae sit caussa, cur vocales permutentur,

**) Verba ejus in eph. Muetzéllii Berol. (a. 1859 m. August. p. 618) haec sunt: „Und da auf dieſe Art eine etwas andre Wurzel (*γλάφω*, *γλύφω*; scalpo, sculpo; *σκάλοψ*, *σκόλοψ*) entſtanden war, ſo wurde der Zuſammenhang mit der urſprünglichen Wurzel leicht verwiſcht; das Sprachgefühl war ſich des Zuſammenhangs (scalpo, sculpo; *πείθομαι*, *φείδομαι*) nicht mehr deutlich bewußt und der Sprachgebrauch verwandte nun jede Form für eine eigne Bedeutung.“ (scalpo ſchaben, kratzen; sculpo ſchnitzen; *πείθομαί τινι* durch etwas gefeſſelt, gebunden werden, ſich feſſeln, binden, einem ſich verpflichten, gehorchen; *φείδομαί τινος* von etwas für ſich ein-, verſchließen, ſparen, ſchonen).

quique permutationis effectus, in eo dissentiunt. Sanscritani autem caveant, ne huic differentiae plus justo tribuant, neve controversia, quae nunquam fortasse dirimetur, satis inutili mota, suis ipsorum studiis obstent. Per solam enim germanicae linguae grammaticam via ad illorum disciplinam, a gymnasiis remotiorem, praemuniri potest; at usque ad nostra tempora haec germanica a plurimis patriae nostrae gymnasiis exclusa sunt. Ut tandem aliquando linguae, a matre traditae omniumque nobis longe carissimae, honor jam diu debitus in gymnasiis tribuatur, nobiscum una enitantur; cum hisce enim germanicis et illorum studia aut stabunt, aut concident. Postquam haec de vocalium hujus √πιϑ conditione disputavimus, jam reliqua vocabula, maximam partem latina persequemur.

Fidis, fides, is, fidicula, σ-φίδη **); apud Hesychium etiam σφίδες (cf. Forcell. s. v. fidis)

Omnia naturalem verbi πιϑεῖν habent sensum et, ut πείσα, πεῖσμα, πειστήρ et nostra Band, Bund, Baſt, id, quo aliquid vincimus, ligamus, significant. Ut φισάκνη: φιδάκνη, ita fascis, fascia, Bündel, Binde, f-s pro f-d habent.

Cum antiquissimis temporibus in vinculis faciendis usum canabis, ferri, aliarum rerum, quibus nos uti solemus, ignorarent, ad vinciendum, ligandum, arcte conjungendum nulla tum res aptior offerebatur, quam viscerum bestiarum eae partes, quae latina lingua intestina, nostra Därme nominantur. Ut hunc intestinorum usum singillatim designarent, nomen a re, cui ea praecipue inservirent, duxerunt et eas ipsas viscerum partes, ad vinciendum, ligandum simplicissima arte praeparatas, κατ' ἐξοχὴν fides, fidiculas, σφίδας, i. e. vincula, Bänder nuncuparunt. Nostri verbi Baſt idem est usus eademque antiquitus origo. Interest enim inter arboris stirpem et corticem particula quaedam lenta et flexibilis, quam ad vincula facienda agricolae nostri etiamnunc adhibent. Simillima igitur ratione, qua Graeci et Latini, etiam Germani nomen ab ea ipsa re, ad quam imprimis ea arboris particula utebantur, i. e. a nostro verbo binden, quod graecum est πείϑειν, Baſt i. e. vinculum, Band appellaverunt. Naturalis igitur et principalis horum quattuor nominum, quibus nostrum Baſt addi potest, significatio est 1) vinculum 2) κατ' ἐξοχὴν intestina, ad vinciendum praeparata, Darm zum Binden, Sehne, Strang, Strick. Postquam Romani ad facienda vincula alias res adhibuere, fabri ejusmodi tenuioribus copulis ex intestinis factis (Darmſaiten) ad lyras construendas imprimis utebantur et sic obvaluit recentior nominis significatio: 3) nervi, chordae, fila in cithara.

Fidiculam Forcell. et Freund parvam citharam esse tradunt et eam significationem primo loco ponunt. At cum fidiculae etiam sint chordae tenuiores, nervi, quibus rei in equuleo constringebantur, torquebantur, illa nominis vis non est principalis, sed multo recentior. Series autem significationum, quae in latinis nominibus (fidis et fidicula) insunt, haec erit: 1) id, quod ad vinciendum aptum est, vinculum, Band 2) copulae, ex instestinis factae (Sehne, Strang) 3) nervi, chordae in cithara, Darmſaiten, denique 4) ipsa cithara. Ultima earum Ciceronis aetate in libris erat usitatissima; sed ejusdem tempore in quotidiano sermone etiam naturalem i. e. antiquiorem sensum haud rarum fuisse, inde intelligitur, quod etiamtum fidiculae in ipsis libris pro copulis tenuioribus (Stricke, Stränge) accipiebantur. Si vero fidiculae vincula fuerunt, idem et vocem fidis a principio valuisse, per se est perspicuum. Freund (s. v. fidicula Nro. II.) hanc significationem vocis recentissimam censet esse; at omnium est antiquissima.

Dummodo vocis et literarum rationem habeamus religiosam, etiam significationum, quae multis vocabulis tam multae tamque diversae sunt, ordo ac nexus plerumque reperietur, posthabita literarum auctoritate et dignitate, in quos errores ii, qui significationum similitudines sectentur, semper fere incurrant, etiam ex nonnullis horum nominum definitionibus perspici potest. Sunt ex. c., qui fidiculas inde pro tenuioribus copulis (Sehnen, Stränge) positas esse profiteantur, quod iis rei in equuleo torqueantur, ut fides inveniatur cf. Forcell. s. v. Porro Festus „Fides", ait, „genus citharae dicta, quod tantum inter se chordae ejus, quantum inter homines fides, concordent." Quae cum ad risum mo-

**) Ut σ-φίδη: fidis, ita est σ-φόγγος, fungus; σ-φενδόνη, fendo, funda; σ-φάλλω, fallo; σ-φραγίς, φράττω; fortasse et σ-φαγῆναι et φαγεῖν (= 1) ad immolandum, mactandum, pinguefactum esse et 2) pinguefecisse i. e. corpus fecisse, edisse??) παχύς et φαγεῖν, σφαγῆναι num aeque mutis inter se varient, ut in superioribus mutae π-ϑ et φ-δ, alii judicent.

vendum satis sint idonea ideoque quae commemorentur indigna, ob id ipsum excerpsimus, ut, quam temeraria et absurda eorum ratio sit, doceamus, qui in inquirendis verborum originibus a sensu, non a voce exordiantur.

Nos contra, qui etymologo vocem, quam significationem prius spectandam esse persuasum habemus, his nominibus, de quibus sermo est, latinis, graecis, germanicis etiam illud jam adjungimus, quod lexicographi, nulla alia ratione, quam quod prima specie longe aliud atque reliqua significet, ducti, ab iis male sejungunt:

Fides, ei et πίστις (ut nostrum Baft, ita et πίστις formatum est) cum superioribus sunt ejusdem originis et ob eam caussam idem valent.

I) Naturalis latini nominis vis ex libris auctorum lat. non amplius demonstrari potest. Quae autem est latinae linguae historiae brevitas, non est, quod in ea re haereamus. Tempus, quod inter Decemviros et Ciceronis aetatem intercessit, haud ita longum fuit, tamen ii, qui ad antiquiores verborum aut formas aut significationes in scribendo et loquendo tum respicerent, ut XII tabulae legum loqui dicebantur. Quanto majus et literarum et significationis discrimen reperiretur, si antiquissima quaeque ad comparationem adhibere possemus. Quae cum ita sint, in tanta literarum congruentia vocabula fides, ei et fidis, is cum latinis lexicographis pro homonymis, quae a principio et alia origine et diverso intellectu sint, non habemus, sed alteram quoque priorem vocem in ultima antiquitate ad vinciendi, ligandi notionem accessisse arbitramur, ita ut 1) copulam, vinculum, aut simile quid denotaverit. Desunt quidem nobis loci ex libris latinis petiti, quibus sententia nostra aliis probetur; tamen de naturali hujus nominis vi dubitare non licet. An vero quis est, qui adjectivum fidelis ab hoc nomine distrahat? Hujus autem adjectivi, quod ad omnes fere substantivi significationis tropicas se applicat, intellectum naturalem, quo ab initio est pro arcte ligato, firmiter conjuncto, mox ita explanabimus, ut speremus neminem fore, cui argumentatio nostra displiceat. Quo autem pacto fieri possit, ut vinciendi, ligandi notio in adjectivo insit, a substantivo, a quo illud profectum est, absit. cf. infra fidelis. Deinde fides tropico sensu est II) foedus, societas quaevis, cujus qui participes sunt, vinculo quasi inter se obstringuntur, obligantur, Traubund, Treubund, reliqua.

Num graecum πίστις, quod latini nominis tropicas significationis maximam partem in se continet, ultimis temporibus etiam vinciendi, ligandi notionem habuerit, cum adjectiva πιστὸς, πιθανὸς tropico tantum sensu usurpentur, non item facile dicere in promptu habeamus. Fortasse eo demum tempore exortum est, cum ipsum verbum πιθεῖν naturali vi sensim sensimque recedente, ad tropicam animum vinculo quasi obstringendi, conciliandi, persuadendi significationem jam abierat. In locutionibus πιστὰ δοῦναι καὶ λαβεῖν, πιθέναι naturalis sensus vestigium quoddam residet; πιστὰ enim a principio res corporeas, quas darent acciperentque invicem, significasse addita verba documento sunt; in his enim vis actionis, quae sensibus percipi potest, inest. Sed cujus generis eae res (πιστὰ) fuerint, quomodo copulae idque naturali hujus vocabuli sensu appellatae sint, equidem nescio.

Fidelis, e, πιθανός i. e. I) vinciens, vinctus, ligatus, arte conjunctus et ob eam rem firmus ex. c. fidelis lorica, navis, portus, structura; fidelissimum (feſt, zäh) glutinum; fidelior pice; fundamenta fideliter jacere; simulacrum Fortunae fidelissime (ſtarf, maſſiv) inauratum. Tum II) tropico plerumque sensu usurpatur et omnes fere substantivi significationes sequitur.

In lexicis fidelis, e et fidelia, ae (cf. pag. 11. φιδάκνη) loco quidem sunt proxima, intellectu („treu: Gefäß") longissime inter se distare i. e. homonyma esse traduntur. At ejusdem sunt originis. Radicem πιθ supra docuimus primum 1) vincire, ligare, deinde 2) res arcte conjungere, claudere, in clauso habere significare. Alteram vim fidelis, alteram fidelia, ae amplectitur. Hae autem duae significationes, a nobis de industria inter se distinctae, cum tam affines sint, ut hic in uno eodemque vocabulo coeant, illud ipsum ad fulciendam sententiam de naturali √πιθ significatione a nobis supra propositam maxime idoneum est. Cum fidelis a primordio sit pro vincto, ligato, fidelia est res arcte conjuncta, clausa i. e. supellex quaedam, cujus singulae partes, ut nihil inde auferri, elabi, effluere possit, nullo spatio intermisso, se contingunt i. e. fideles sunt.

Ea, quae apud Freund. et Forcell. in lex. de hoc adjectivo traduntur, documento sunt, qua

ratione etymologo in demonstranda vocabulorum significatione abstinendum sit. Primum apud utrumque fidelis et fidelia, ae juxta se collocata sunt, sed quae in tanta earundem literarum congruentia diversissimae significationis caussa sit, ne verbo quidem dicitur. Ille, id quod non exspectaveris, „fideliam a πίθος esse“ dicit. Sed si mutarum consonantium in utraque lingua congruentiam planam reddere voluisset, vox φιδάκνη (φ-δ = f-d), non πίθος adscribenda erat. Quod nihilo secius Forcellini a vero hic non omnino aberravit, id singulari casu factum est, non ratione et consilio. Cognitum habebat graecum nomen non iisdem mutis, sed simili intellectu; quo factum est, ut „fideliam a πίθος esse“ conjiceret. Nos, diremto literarum π-θ et φ-δ (f-d) discrimine, πίθος, φίδος; πιθάκνη, φιδάκνη, fidelia, ae ejusdem originis esse pag. 10 et 11. docuimus; Forcellini contra quod, cur latinae voci fidelia, ae graecum πίθος adscripserit, rationem non addidit, nulli probabitur. Ob id ipsum, ni fallor, graecam vocem alter lexicographus ad latinam non adnotavit.

Deinde apud utrumque ita disturbatus est significationum ordo ac series, ut exemplum, quod in Forcell. lex. loco positum est ultimo (fidelis structura = genau verbundenes, feftes Mauerwerk), omnium primo loco collocandum sit. Neque vero apud alterum lexicographum res aliter se habet. Forcellini postquam de sensu adjectivi tropico disputavit, in extremis dicit vocabulum etiam rebus inanimis tribui. Sed cum haec altera significatio, qua est pro vincto, arcte clauso, naturalis sit ideoque multo antiquior priore, ultima exempla, quae attulit, in prima convertenda sunt. Qua in re si quis contra nos cum altero lexicographo Ciceronem auctorem sequi velit, etiam huic in re etymologica non multum concedendum putamus. Quodsi apud Ciceronem (cf. Freund. lex. s. v. fidelis) legitur: „Cui verbo (fideliter) domicilium — in officio, migrationes in alienum multae“, id totum est falsum eoque magis, quod ea translatio verecunda ab eo dicitur.

Ut illud silentio praetermittamus, domicilium adverbio fideliter proprium haudquaquam esse in officio, sed in rebus corporeis, arcte inter se conjunctis, clausis, omnes verborum migrationes in alienum antiquitus ab inanimis rebus i. e. ab iis, quae sensibus percipi possunt, ad ea abeunt, quae mente et cogitatione amplectimur. Contra si ea, quae animo concipimus, perraro ad ea exprimenda transeunt, quae sensibus sunt obnoxia, in alta id oratione fieri videmus et recentioribus linguae temporibus, quibus naturalis vocabulorum vis plerumque obscurata est. Ejusmodi rariores translationes, utpote quae omnes recentiores sint, ad enucleandam vocabuli alicujus vim principalem nihil fere conferunt atque adeo etymologum a recta via deducunt. Latini igitur lexicographi omnes et ipse Cicero in iis, quae vocabula, a √fid orta, recentioribus latinae linguae temporibus semper fere valebant, naturalem et principalem sensum inesse persuasum habuerunt, quo factum est, ut in multis locutionibus (fidus pons, fidelis structura, lorica, fideliter firmus, fidelissimum glutinum, fidelior pice) tales translationes deprehenderent, quales, nisi in alta oratione, in nulla fere lingua exsistunt. At haec vocabula ita usurpata etiam in prosa oratione et in humili dicendi genere haud raro inveniuntur et, si conjecturae locus est, multo crebrius in sermone quotidiano, maximam partem nobis incognito. Ad hunc autem quotidianum sermonem, qui ab audaciorib us verborum migrationibus in alienum prorsus abhorrere solet, omnes se adjungunt locutiones, a nobis modo commemoratae.

Quae, si reputaverimus, in his ipsis non translatam quandam, sed naturalem vim inhaerere existimabimus; contra ea quam significationem lexicographi tanquam naturalem primo loco ponunt, ea sine dubio translata est. Translatio enim secundum suam ipsius legem exit ab iis, quae oculis cerni possunt i. e. a vinciendo, ligando, claudendo res inanimas et corporeas, et ad ea transgreditur, quae sub sensus non cadunt, ita ut significet animum hominis vinculo quasi obstringere, obligare. Lexicographi igitur latini et graeci hujus √πιθ et √fid literas nihil curantes, non solum translatas significationes pro naturalibus habuerunt, sed etiam multa vocabula, quae easdem plane cum hac radice habent literas, ab ea prorsus sejunxerunt et homonyma esse contenderunt. Ita uno saltem exemplo, e latina lingua petito, quae ratio etymologum aut abstrahat a vero aut ad verum ducat, docere non absurdum esse existimavimus.

*Πιθανός, ή, όν* idem valet atque latinum fidelis, sed rarius passivo, plerumque activo, eoque semper, quod equidem sciam, tropico sensu;

πιθανὸς est is, qui animum alicujus vinculo quasi obligat, devincit, conciliat.

Foedus, fîdus, eris (vocalibus alterum graeco πέποιθα, alterum eidem ejusdem graecae √πιθ vocabulo φειδίτιον respondet) 1) vinculum, copula; 2) tropica vi est quaevis societas, quae cum eo, qui hostis, adversarius ante fuerat, initur. Naturalem sensum verba, quae nominis casum accusativum regunt, confirmant ex. c. foedus pangere, solvere, rescindere, rumpere. Quodsi etiam f. percutere, icere, ferire dixerunt, illud principali significationi repugnare videtur, sed hic mos loquendi a caerimonia quadam, qua in ineundae societatis fidem hostiam mactare solebant, exortus est. cf. Freund. lex. et pag. 12. φειδίτιον.

Fîdus, (levifidus??) 1) firmiter ligatus, arcte cohaerens ex. c. pons validus ac fîdus; 2) plerumque tropico sensu is, cui, quod promissis stat, nos ac nostra concredimus. Graece est πιστός.

Fîsus, fîdens (fîdere). Fîsus est is, qui alicui obligatus est, fidem habet, mediali semper et tropica vi, quam etiam participium fîdens sequitur, quod et adjectivi loco ponitur et eum, qui sibi ipsi fidem habet i. e. constantem, fortem significat. Praeter haec duo participia ipsum verbum fîdere lexicographi lat. raro, plerumque apud poëtas et recentiores auctores reperiri tradunt. Quod ad auctores classicos attinet, recte quidem; at verisimillimum est, etiam verbi, a quo tam multa vocabula originem ducunt, usum ultimis temporibus in lingua latina multo latiorem fuisse. Freund in lex. ad vocem haec adjicit: „abgeſchwächt (?) aus πιθ, πείθω, πείθεσθαι“, et idem multis aliis locis, ubi latina cum graecis confert, repetit; quid hoc sibi velit, non intelligo. Est quidem in germanica et francogallica grammatica lex, quam nostra lingua Schwächung vocant; sed ea longe alio spectat. Caeterum fîdere non in graeci verbi quandam similitudinem corruptum, sed secundum Latinorum morem loquendi ita formatum est, ut graeco π-θ et φ-δ latinum f-d accurate respondeat. Verbum igitur utrique linguae ab initio est commune; usus alterius arctior, alterius permulto latior luculenter docet, suum utrique linguae esse ingenium ac proprietatem.

Fîlum, fidlum, πίθηλα cf. infra Fidius. Jacobus Grimm fîlum cum graeco καροπίθλα (= Haarbändchen), plantae nomine, comparat ideoque pro fidlo positum censet. Terminationem si spectamus, in ea deminuendi vis inesse videtur. Quodsi non falsum habetur fîlum, fidlum est fidiolum i. e. tenuissima copula, lineola (Bändchen, Schnur, Faden), id quod vocabuli usitatae significationi plane congruens est. Significat enim 1) tenuissimam copulam, lineolam ex canabi, non ex intestinis factam; apud poëtas solum lyrae quoque fila, ut alias fides, ex intestinis factae, sunt pro nervis, chordis; 2) omne, quod inde textum est ex. c. velamen quoddam, quo flamines apiculum cingebant (ſchmaler Bund, Kopfband); 3) tropico sensu rei copulatio, conjunctio, nexus, habitus. Nostrum Faden, Fädelchen haud scio an cognatum sit; latinae et germanicae mutae consonantes (f-d et f-b), id quod legi etymologicae contrarium est, eaedem sunt; sed nostrum nomen cum graeco potius πίθλα conferam. Praeterea in tanta hujus √πιθ mutarum consonantium vicissitudine, quae jam primo loco i. e. in latina graecaque lingua reperitur, non habemus, quod germanicarum mutarum illegitima conditione offendamur cf. pag. 4.

Fidius, πίστιος, mediusfidius (fîlius?). Apud Freund. in lex. haec leguntur: „„Fidius, Beiwort des Jupiter (?), Ζεὺς πίστιος, ſtets (?) in Verbindung mit deus oder medius, auch zu Einem Worte mediusfidius verbunden.““ Quae si omnia vera essent, dius, deus Fidius Jovem significaret vincientem i. e. foederum tutorem, qui socios vinculo quasi obligat, societates jungit ruptasque ulciscitur. At apud graecos quidem auctores Ζεὺς πίστιος reperitur, apud latinos contra aut deus est, aut dius Fidius, neque ullo loco Jupiter hoc habet attributum. Porro Ovidius (Fast. 6. 213. „Quamobrem, Nonas Sanco, Fidione referrem, an tibi, Semo pater“) eundem deum, omissa altera voce, semel Fidium nominat, ita ut additum dius adjectivum (der göttliche, himmliſche Fidius), non substantivum, quod alterum latini grammatici statuunt, existimasse videatur. Apud graecos autores, quod equidem sciam, nisi adjecta voce Ζεὺς, adjectivum πίστιος eodem sensu, quo est apud Ovidium Fidius, nusquam legitur.

Quem deum Ovidius Fidium, eundem aut similem sabina lingua Sancum, Sangum nuncupatum esse memoriae proditum est. Deus igitur, aut dius Fidius non fuit Aboriginum, sed eorum, qui in Italiam transgressi antiquissimis temporibus graecae linguae cognatam, aut potius

eandem atque tum Graecorum i. e. Aeoliorum erat lingua, eo transtulerunt. Qua re verisimillimum fit, nisi graeca lingua ad comparationem adhibita, neque aut vocem aut sensum vocabuli mediusfidius recte explanari et, si quid inusitati in eo deprehendatur, illud hac ultima ejus origine haud temere excusari posse. Grammatici latini interjectionem verbis: „me dius Fidius juvet, amet (perdat?)“ explicant et, ut Freund in lexico suo, Fidius graecum πίστιος esse suspicantur. Nihilo tamen secius incerti quid remanet. Itaque in hac tanta rei difficultate et obscuritate ne quid a nobis relictum esse dicatur, de ea vocis explicatione, quam Festum proposuisse apud Forcell. s. v. Fidius legimus, mentionem injiciemus.

„Mediusfidius“, Festus ait, „compositum esse videtur et significat Jovis filium i. e. Herculem; ac fidium pro filio, quod saepe ante pro l litera d utebantur.“ Primum hoc praeceptum etymologicum, quo l in literam d vertatur, pro nullo existimandum est; liquidae enim consonantes et mutae inter se ita non variant. Quod autem dicit fidium esse pro filio, id uno saltem exemplo comprobari potest; Grotefend enim (lat. grammat. 2. 249) fidiom i. e. filium in XII tabulis legum reperiri refert. Quaeritur igitur, num Festus reliqua de industria ementitus proposuerit, an quid in ejus definitione insit veri. Primum si grammatici latini, qui illud dius pro casu nominativo habent, in interpretanda interjectione minus se audaces esse credant, quam Festum, qui formam Dius casum genitivum (Διὸς) esse dicit, non recte id contendunt. Traduntur formae dii, dî, diis, dîs; in aliquot monumentorum inscriptionibus etiam est dibus deabusque; in reliquis locis dius est aut adjectivum ex. c. dia dearum, dea dia, dius quidam magister, aut, ut apud Varronem L. L. 5. 2. (cf. Forcell. lex. s. v.) alii interpretes pro dio „deus“ scribunt. Singulari igitur numero nulla substantivi forma in latina lingua exsistit satis firma, quae hoc i inusitatum prodat. Etiam in graeca simile quid frustra quaeras; Διὸς enim est casus genitivus, δῖος autem (dius, divus), sive divinum, sive Jove ortum significat, semper est adjectivum. Nominativo igitur casui dius, quam inusitatam formam latini grammatici non ea, qua decet, cura respiciunt, neque de latinis neque de graecis ullum nomen conveniens est. Festus contra si dicit Dius esse casum genitivum, etiam illud nisi ultima interjectionis antiquitate excusari non potest; sed tum latino Dius (=Jovis) graecum saltem Διὸς respondet; cur autem graeca lingua in definienda interjectione antiquissima in auxilium vocanda sit, jam supra dictum est. Cum igitur casus nominativus dius dubitationis aliquanto plus moveat, quam genitivus Dius, animus noster inclinatur, ut Festi interpretationem veriorem existimemus, quam reliquorum. Huc accedit, quod in quotidiano sermone per Herculem dicta confirmare moris erat; praeterea Varro idem ac Festus de hac interjectione tradit. Neque vero eorum sententia formula per deum Fidium, quae est apud Plautum, neque loco ex Ovidii Fastis supra citato refellitur. Nam utriusque aetate, quid a principio dius, deus Fidius, mediusfidius valuerit, cum nihil omnino sentirent, verbis ita utebantur, tanquam attributum esset cum substantivo. Quo factum est, ut Ovidius vocem Fidius substantivi, Plautus adjectivi loco haberet. Alterum horum cum non falsum esse non possit, palam est, aut Ovidium, aut Plautum esse in errore; at multo verisimilius est, quid haec verba a principio significaverint, neutrum sensisse. Postremo Jacobus Grimm fîlum, a quo fîlius, si etymologicae originis rationem ducas, male disjungitur, ad hanc √πιθ adnumerat et pro fidlo esse dicit cf. supra pag. 20.; litera igitur d non, ut Festus dicit, in l versa est, sed fîlius est fidlius, fidiolus et illud d frequentissimo nominis usu excidit. Tum filius a principio non est is, qui quo natus sit, sed nomen ab initio longe aliud quid, quod cum naturali latinae √fid sensu consentaneum est, significat. Fîlum inter alia est velamen quoddam, quo flamines apiculum suum cingebant; fortasse liberi a patre sublati simili velamine ornabantur, ita ut honorifici quid insit in eo nomine. Illud enim certum est, liberis nomen filiis filiabusque familias honoris causa inditum esse; iis enim exceptis, reliqui, qui sunt de familia, ut erant, ita et famuli, servi nuncupabantur. Sed haec ad ea linguae latinae tempora respiciunt, de quibus ne suspicandi quidem jus ac potestas etymologo conceditur**).

---

**) Postquam ea, quae supra proponuntur, jam scripsimus, apud Pottium (Etym. Quaestiones LVII) legimus, casum vocativum medi fidie ab Hartungo commemorari et

Feſſel; Faß, Gefäß; Faden. Jam vero restat, ut paucis de ea germanicorum vocabulorum literarum mutatione disputemus, quae illegitima videri possit. Sunt autem de nostris nonnulla, quae non ut goth. bindan, franc. pintan mutas consonantes b-d et p-t habeant, sed aspiratam f primam literam ostendant. Recte enim huc referuntur: ags. fetel, franc. vezzil, neogr. Feſſel cf. pag. 8 et 18. *πεῖσμα, πείσα*, fidis, fidicula; neogr. Faß, Gefäß cf. pag. 11. *πίθος, φιδάκνη* fidelia; neogr. Faden cf. pag. 20. fîlum; praeterea nostra feſt et faſſen. Alterum, quod a principio participium est, significat vinctum ex. c. einen feſt machen, feſtnehmen i. e. vincire; er iſt feſt i. e. foedere cum diabolo icto obligatus, ab hostium telis tutus. In his germanicis mutae consonantes legi etymologiae contrariae sunt; sed illud inde evenisse supra dictum est, quod propter duas $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ aspiratas jam primo loco i. e. in graeca et latina lingua mutae quasi fluctuant. Postremo si de germanicis plurima literam N interpositam (bindan, pintan, Band,) habent, in mentem nobis veniat, illud N, quod hic in altera lingua invenitur, in altera deest, in una eademque saepe, ut ita loquar, mobile esse. Ita non solum in graeca et latina, sed etiam in ea germanica lingua, quam palaeo: septentrionalem vocant, tempus verborum praesens interposita hac litera a praeterito distinguitur ex. c. frêgi, frango, fragor; tetigi, tango, integer; fûdi, fundo; *λαβεῖν, λαμβάνω; πιεῖν, πίνω*, bi-bo; bind vincio; batt vinciebam; hrind trudo, hratt trudebam; vind torqueo, vatt torquebam. Ut jungo: jugum, frango: fragor, ita est bínden, Band, Bund: Baſt, Feſſel, Faß, reliqua.

ab eo me pro graeco *μὰ* haberi. Hoc alterum Pott, ut nobis quidem videtur, recte refutat; forma autem vocativi, si quo loco exstat, satis est corrupta. In quem modum ejusmodi locutiones hodieque obscurentur et corrumpantur, etiam nostra documento esse possunt ex. c. achherrje (ach Herr Jeſus), jemine (Jesu domine), Potz Wetter (Gott's?), ſpeißan (wohl geſpeiſt zu haben), moin (guten Morgen) alia. Sed cum tales locutiones, in quotidiano sermone crebro obviae, breviores fiant, non longiores, alteram obsecrantium formulam mediusfidius, quae est in libris, magis genuinam, alteram medi fidie, quae soli quotidiano sermoni propria fuisse videtur, magis corruptam ducamus et eam, unde, quae interjectionis et forma et significatio fuerit principalis, suspicari omnino non liceat. Quae igitur de vocabulo supra allata sunt, ea hac casus vocativi forma, corruptam declinationis speciem prae se ferente, non refelluntur. Denique fortasse etiam nos hanc difficilem et obscuram quaestionem ad finem nondum adduximus, at illud nobis demonstrasse videmur, plus difficultatis in interjectione inesse, quam latini grammatici opinari soleant.

De superioribus philologis Ernestium supra commemoravimus naturalem hujus $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ significationem ita statuere, ut ea, quae doceat, ad probandam nostram argumentationem opportuna nobis visa sint. Reliqui lexicographi in constituenda radicis principali vi nominum, inde ortorum, rationem habent nullam; Ernesti ex iis unum saltem — graecum intelligo *πεῖσμα* — ad comparationem adhibuit. At reliqua graeca neglexit et, latina lingua non respecta, germanica, in quibus nostra disputatio quasi fundamento suo nititur, intacta reliquit. Praeterea quod ab intellectu, non a voce comparandi initium cepit, eadem via, utpote quae etymologum in errores semper fere deducat, nobis ingrediendum esse non rati, genuinam hujus $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ formam, priusquam ad enucleandam ejus significationem nos accingeremus, mutarum consonantium ratione perlustranda ita nobis supra constituisse videmur, ut ad fidem faciendam aliis adjumentis subsidiisque opus non sit.

Veruntamen quae nunc est comparativae grammaticae conditio, etiam hanc nostram nobis sententiam de literis et significatione $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ propositam eo magis addubitandam esse putavimus, quod effrenatam quandam argumentandi audaciam etymologis permulti nunc crimini vertere solent; neque vero prorsus injuria. Quo enim modestius et circumspectius illi agere solent, qui historicam grammaticam condidere, eo insolentius haud pauci, qui caussam eorum secuti sunt, nimiam sui fiduciam ostentant; quo facto ei ipsi rei, cui prodesse volunt, officiunt. Cum enim comparativae sit grammaticae, partibus, ut ita dicam, historiae perfungi et plerumque ad antiquissima generis humani tempora recedere, antiquitatis remotissimae respectus etymologos moderatiores faciat oportet, et, ut in disciplina sua tam obscura et ab iis, quae nunc saeculum vocantur, alienissima sensim sensimque progressi, plures in dies ad haec studia alliciant, modestia profecto, non arrogantia et nimia sui ostentatione elaborandum est. Quae cum ita sint, diu incerti fuimus, num tota haec qnaestio, quae est de $\sqrt{\pi\iota\vartheta}$ et *πῦθ*, si tres tantummodo linguae, latina, graeca, germanica in comparationem adhibeantur, ita absolvi possit, ut omnia fideliter sint firma.

Ipsi quidem experientia nostra edocti scimus, esse, qui, dummodo ad vicissitudinem radicis et mutarum consonantium et vocalium ordinariam legitimamque accurate attendas, fieri posse dicant, ut etymologia intra has tres linguas recte se contineat. In iis, qui hanc sententiam amplectuntur, ipsum Jacobum Grimm (cf. praefat. lex. germ.) videmus esse; de reliquis, qui numero non pauci sunt, ex. c. G. Michaelem Berolinensem et Stierium Vitebergensem nominare possumus. Eorum alter nuper in eph. Kuhnii Berol. (anni 1856) etymologo hanc facultatem vindicavit, alter propterea ad eandem sententiam accedere videtur, quod commentariolum nostrum, qui est de particula negativa nicht, programmati gymnasii lesnensis (a. 1855. 13. Novbr.) insertum, ob id unum, quod paucae tantum in eo indo:europaeae linguae recenseantur, non modo non improbat, sed etiam Schwenckio, germanici lexici editori, in eph. Muetzellii Berol. legendum commendat.

At sunt quoque, qui, nisi sanscrita lingua, cujus quidem summam auctoritatem et ipsi libenter agnoscimus, respecta, etymologicam verborum comparationem recte fieri posse denegent. Absoluta igitur hac scriptione faciendum mihi putavi, ut, quid Sanscritani de literis harum √πιϑ et πῦϑ statuant, comperirem. Inspexi igitur, quae est parvula meorum librorum supellex, volumen, quod unum habebam ad manum, Pottii dico Etymologicas Quaestiones (Lemgo 1833). De altera √πῦϑ, in qua eandem mutarum consonantium conditionem esse mox videbimus, nihil fere in eo libro scriptum inveni, ita ut suscepta caussa mihi soli defendenda sit. Quod ad alteram √πιϑ attinet, verba ejus, quae huc referri possunt, pag. 251 haec sunt:

„„√210. bandh. Goth. bindan. Es kommt mir nicht unwahrſcheinlich vor, daß √πιϑ, Lat. fid zur urſprünglichen Bedeutung binden hat; alſo sermone obstringere, obstringi. Dafür ſpricht πεῖσ-μα (Schiffsſeil) und das Lat. foedus (Bund, pactum).““

Quod Pott verisimile tantum sibi ait esse, in hac radice vinciendi (ligandi et claudendi?) notionem a principio inesse, hoc idem nostra mutarum consonantium formula multisque exemplis supra allatis tam certum ac planum fit, ut is, qui vocabula inter se conferenti a verborum voce et literis ordiendum esse censuerit, rem in dubium vocare non possit. Nomen πεῖσμα cum verbo πιϑεῖν jam Ernesti contulit; de latinis Pott foedus radici adscripsit; sed ut vinciendi notionem in latina √fid inesse demonstraret, nomen ei aut fidicula (Strick, Strang, Seil) aut fidelis (feſt zuſammengefügt, verbunden) adscribendum erat, quibus nominibus de latinis ad eam rem nullum aliud est aptius. Praeterea V. D. fugit, etiam in graeca √πιϑ mutas consonantes duplici modo ita inter se variare, ut alia vocabula π-ϑ, alia φ-δ possideant. Illud f-d latinis tantum vindicat; at non solum in multis latinis, sed etiam in aliquot graecis mutae φ-δ inveniuntur cf. supra πιϑάκνη, φιδάκνη, fidelia, ae; σ-φίδη, fidis, φειδίτιον, foedus, eris, reliqua. Deinde Pott vocabulum πίϑος, φίδος, in hac radice inter omnia etymologo longe opportunissimum, a πιϑεῖν falso disjungit et, id quod nemo crediderit, pro ἐπί+ϑη esse opinatur. Praeterea cum in graeca √πιϑ mutas π-ϑ et φ-δ inter se variare nesciret, verbum φείδομαι ad scr. √bhid haud recte pag. 245 his verbis confert:

„„Ich rechne hierher (ad √bhid) Gr. √φιδ; φείδομαι wäre: ich breche mir ab, oder ſcheide mich ab von einer Sache (χρήματος), entziehe mir, ſchone, ſpare.““

At scr. bhid Latinorum est findere, nostrum beißen, quod alterum ab initio idem valet atque latinum. Tum a decerpendi, findendi, disjungendi notione nomina, quae a φείδεσϑαι originem suam ducunt, abhorrent omnia; in nominum autem, non in verborum intellectu etymologo insistendum esse supra iterum atque iterum diximus. Quid enim tum esset γλῶσσα φειδωλὸς, lingua fissa? Ἡ φειδωλός rebus ad victum pertinentibus utrum parcit, quod eas includit, in clauso asservat, an quod findit, decerpit, disjungit? Porro quid esset φειδίτιον, fidus, eris, in quibus non disjungendi, sed conjungendi vis inest? An vero quis est, qui verbum φείδομαι a nominibus φειδίτιον, fidus, eris secernendum esse credat? Quid pluribus? in cunctis his graecis vocabulis, quae, ut latina, φ-δ ostendunt, etiam is, qui ad eas res dijudicandas sagacissimus sit, findendi, disjungendi notionem non indaget. Etiam Jacobus Grimm (in lex. s. v. beißen) cunctabundus dicit: „„vielleicht gehört hierher (ad v. beißen) gr. φείδομαι, wenn ihm nämlich die Bedeutung abbrechen, abzwacken zu Grunde läge.““ Confidentius, vellem, hanc Pottii sententiam improbasset; ea

enim vis graeco φείδομαι, ut supra multis verbis demonstravimus, subjecta non est. Denique πίϑος, φίδος, πιϑάκνη, φιδάκνη, fidelia, σφίδη, fidis, a quibus nos comparandi initium capientes sensim in superioribus pedetentimque progressi sumus, omnium maxime idque luculenter docent, non solum in multis latinis graecisque f–d et φ–ϑ inveniri, sed etiam graeca, quae φ–ϑ possideant, in iis et ipsum φείδομαι ad intellectum omnibus hujus √πιϑ vocabulis communem ita pertinere, ut πιϑεῖν cum 1) vincire, ligare, tum 2) arcte conjungere, claudere, clausum habere significet. Haec graeca √πιϑ cur et quomodo mutas consonantes et intellectum suum variaverit et postremo ad tropicas significationes abierit, supra fusius dictum est, neque habemus, cur ea repetamus; eos, qui haec legent, ad superiora, nominatim ad vocabula φιδάκνη, fidelia, fidelis, φειδωλός, φείδομαι ablegasse satis erit.

De altera √πῦϑ, quae mox a nobis tractabitur, Pott aut mentionem non injecit, aut nostra culpa factum est, ut de ea in ejus libro nihil scriptum deprehenderemus. Ubi de scr. √budh (πυϑέσϑαι, fundo, biudan, piotan), in qua eadem atque in hac √πιϑ mutarum consonantium est series, loquitur, inter alia pag. 252 haec adjicit:

„„ vielleicht gehört pûteo hierher (ad graecum πυϑέσϑαι), das jedoch wahrſcheinlicher von put (= rein) hergeleitet wird.““

Latinum autem pûteo neque ad graecam √πυϑ, neque ad scr. √budh pertinet, sed ad √πῦϑ i. e. πύϑειν, quacum quomodo pûtere et putare cohaereat, in altera quaestionis nostrae parte disseremus. Illud autem silentio non praetermittendum esse censemus et jam hic, ne infra ad Sanscritanos iterum nobis revertendum sit, legentes de ea re praemonemus, Vir. doctissimum et inter Sanscritanos maxime conspicuum, hic docere, graecis mutis π–ϑ non solum latinas f–d, ut et multa exempla a nobis allata demonstrant, sed etiam literas p–t esse convenientes. Has autem mutas p–t in aliquot vocabulis latinis ab altera √πῦϑ ortis inveniri mox videbimus. Latinum enim pûteo, licet aliae ejusdem radicis voces latinae f–d (f–t) habeant, tamen a graeco πύϑω (π–ϑ) separare non licet. cf. infra alteram √πῦϑ**) et praeterea graecas √παϑ et λαϑ, ϑιγ, in quibus latinae literae t (pati, latere, tetigi) graecum ϑ item consentaneum est.

Duo igitur sunt, quae ex Pottii libro didicimus; alterum, sanscritica lingua licet in comparationem non vocata, tamen vocabulorum, ab hac √πιϑ ortorum, originem, id quod per solam graecam latinamve linguam demonstrare frustra coneris, si praeterea germanicarum linguarum ratio habeatur, evidenter et certo indagari posse. Quin etiam fines, intra quos etymologica harum trium linguarum comparatio versatur, satis extenti, quibus verba inter se comparantium prospectus non impediatur, tamen non tam sunt effusi ac dilatati, ut periculum sit, ne per avia et devia audacius progrediendo nonnunquam saltem a recta via declines. Deinde quamquam in nonnullis iisque gravioribus rebus ad Pottii sententiam accedere non possumus, tamen quae de mutarum hujus radicis consonantium conditione ac vicissitudine, a graecis latinisque lexicographis semper fere deserti derelictique, nos supra disputavimus, ea nulla re magis fulciuntur, quam iis, quae de iisdem literis vir ille doctissimus proposuit. Lexicographi utriusque linguae in his hujus radicis vocibus latinis ac graecis tantum non omnibus translatam quandam significationem primo loco adnotant et quod ab earum intellectu, classicorum quos vocant aetate usitatissimo, exeuntes, literarum nullam curam habent, vel ea vocabula, quae literis inter se proxima sunt, falso secernunt sejunguntque. Pottii contra etymologica comparandi ratio genere et arte diversissima in his eo gratior acceptiorque nobis visa est, quod ad nostram opinionem diu ac multum huc illuc agitatam tanti viri accessit auctoritas.

---

**) Comparativae grammaticae usum secuti, in longis tantum hujus radicis syllabis notationem prosodiae repentendam supra curavimus, ad denotandas breves nullo signo usi. Hanc rationem, per se probabilem et opportunam, cur lexicographi et grammatici latini graecique in libris suis sibi non adjungant, non intelligimus; multae et operae et tempori hoc modo parci posset.

## II. Radix φῦϑ i. e. πύϑω.

# Vocabularium.

Jam vero ad alteram quaestionis nostrae partem, qua de graeca √φῦϑ i. e. πύϑω disputabimus, transimus. Principalis et naturalis ejus notio haec est, ut dicatur de rebus, quae, quia alieni, vitiosi, morbosi quid in iis subest, postquam in rotundam formam excreverunt, ita depravantur, ut disruptae

A) sucum, odorem male olentem edant, ſtinken, aut

B) in minutissimas particulas dissolutae evanescant, verweſen, faulen; singillatim

a) de locis in cute corporis hominum ac bestiarum, quae puris plena turgent, aut, ubi aperta sunt, pituitam male plerumque olentem effundunt fiuntque purulenta;

b) de aliis rebus, quae, quia vitiosae sunt, primo tument, deinde disruptae foetent, postremo in minutissimas particulas dissolutae dissipantur;

c) de eo, quod tumorem rei efficit et postremo summas ejus partes perrumpit, de suco, tabo, pituita, foetu (fetu?), aliis;

d) putrescendi foetendique sensu deposito, in universum de rebus in rotundam formam excrescentibus cf. infra Boſſe et fetus.

e) Nonnullae voces, ab hac radice ortae, tropico plerumque sensu ponuntur cf. infra putare et böſe.

A) Mutae aspiratae φ-ϑ, pro quibus sunt gr. π-ϑ, lat. p-t (p-s), germ. b-d, p-t, b-t (b-s).

*Πύϑω* putrefacio, durch Fäulniß auflöſen; *πύϑεσϑαι*, putore dissolvi, faulen, verweſen.

Pûteo 1) *πύϑεσϑαι*, faulen; 2) de foetido rerum putrescentium odore, male olere, ſtinken. Eadem significant pûtesco, pûtisco, pûtidus, pûtor. De mutis consonantibus p-t, cum alias analogia in latinis f-d postulet, vide ea, quae pag. 24. dicta sunt et infra foedus, a, um.

Puter, putris, putre; putris, tre (u an û?) idem valet ac putidus i. e. id, 1) quod putrescit, faul, 2) quod foetet, ſtinkend. Huc referenda sunt: putresco, putrefacio, putridus, putror, putredo. Num vocalis adjectivi brevis sit an producta, dubitari potest **)

*Πῦος, πῦαρ, ατος, πυτία* (π-τ, ut in multis latinis), lac animalium, simulac partum ediderunt, in puris quandam similitudinem corruptum cf. infra idem germ. vocabulum Bieſt; etiam *πυτίζω, πτύω*, sputum removeo, spuo, huc pertinere verisimile est.

*Πῦον* latinum est pûs; *ἔμπυος*, qui ulcere corporis interiore laborat; *ἐμπύημα*, ejusmodi ulcus.

Pûs, pûris (cf. infra eadem germanica: das Bieb, Biet; der Butz, Putz, tzen et gr. *πῦον*) 1) pituita lenta et foetens (zäher, ſtinkender Eiter), quae ex pusulis, variolis, vomicis, carbunculis, ulceribus secernitur, effunditur; 2) tropico sensu apud Horatium (Sat. I. 7. 1.) pûs est pro homine maledico. cf. infra eadem ejusdem radicis germanica: eine böſe Zunge, ein böſes Maul, quae nostrates, ut ejusmodi hominem significent, in quotidiano sermone usurpare solent.

Pûsula, pûstula, ulcusculum in corporis cute, quod, cum clausum est, tumet, ubi apertum est, saniem, pûs, tabum, male plerumque olens, secernit; Blaſe, Bläschen, Blatter, Finne, Pocke, Schwär, Geſchwür, alia. cf. romanicum bosse et nostrum etwas Böſes, quod idem de omnibus ulcusculorum in corporis cute aut in rotundam formam intumescentium, aut pituitam ejicien-

**) Horatius vocem bis jambi loco posuit; alias et apud reliquos poëtas pûtr u longum habet; num per se, an per positionem syllabae, quaeritur. Si adjectivi significationem respicimus, cum iis hujus √πῦϑ vocabulis, quae productum u habent, arctissime cohaerere videtur. Horatius igitur haud scio an in hac voce, poëtis non saepe obvia, bis (Epod. VIII. 7. Od. I. 36. 17.) de lege prosodica aberraverit; sin minus, vocabulis accensenda est, quae tertiam radicis vocalem i. e. u breve habent cf. infra putus. Gothicum graecae √πῦϑ verbum apud Ulfilam non reperitur, ad reliquorum similitudinem fingi potest: biud, bôth, bud (Biet, Bieb, bieſen; pôsi, böſe; Butz, Boſſe), quod quomodo cum graeca √πυϑ, latina √fud, fundo, germ. verbis biudan, piotan, bieten conveniat, in medio relinquendum esse censemus. De vocalibus cf. ea, quae pag. 5 et 6. diximus, ubi formae *λυϑ, λευϑ, λουϑ* delendae sunt.

tium generibus dicunt. Vocabulum Puſtel non est cognatum, sed a medicis in nostram linguam receptum (Lehnwort).

*Πυθώ*, quod nonnulli a *πυθέσθαι* falso derivant, cum productam habeat vocalem, ad √*πυθ* i. e. *πύθειν* pertinet et 1) in universum loca significat putrescentium paludum stagnorumque plena, per quae Pythones grassari credebantur. tum 2) singillatim certa quaedam ejusmodi loca, ob interfectum ab Apolline monstrum celebria cf. h. in Apoll. v. 370:

*Τὴν δ' αὐτοῦ κατέπυσ' ἱερὸν μένος Ἠελίοιο*
*ἐξ οὗ νῦν Πυθὼ κικλήσκεται.*

Quod haec loca imprimis Apollini, vatum et poëtarum praesidi ac tutori, sacra erant, fabulam inde de dracone, afflatu suo homines ad vaticinandum inspirante, exortam esse crediderim cf. H. Steph. lex. s. v. Denique post Homeri et Hesiodi tempora *Πυθὼ* etiam nomen est urbis, in iis locis sitae.

*Πύθιος* ab initio latinum est foedus, a, um et nostrum böſe (cf. infra h. v.) et 1) putidum, foetidum significat; tum 2) de certis quibusdam Graeciae locis et 3) de Apolline, qui draconem ibi interfecit, usurpatur. Apollo igitur non propterea Pythius appellatur, quod Delphis per Pythiam oraculum consulentibus (= *πυθέσθαι*) responsa dabat, sed quod in iis locis paludum stagnorumque plenis Pythonem (cf. v.) occidit; inde et ipse et oraculi sacerdos et ludi nomen traxere (*Πύθιος, Πυθία, Πυθιὰς, Πύθια*). *Οἱ Πύθιοι* sunt etiam legati quidam regum Lacedaemoniorum, qui Apollinem consultum Delphos mittebantur; Passovius dubitat, num hujus vocis syllaba prima longa sit, an brevis; sed etiam hac significatione est longa neque, ut prosodiam syllabae constituamus, poëtarum opus est auctoritate; radicis enim vocalium deinceps se excipientium ratio longam postulat. In hoc et altero cognato nomine *Πύθων* non de consulendo (= *πυθέσθαι*) Apolline, sed de foetido monstro et locis putridis (= *πύθειν*) cogitandum esse, qui literarum conditionem religiose attenderint, concedent omnes.

*Πύθων* igitur est 1) monstrum, quod tetrum ac pestiferum odorem edit stagnaque putrescentia incolit, ein ſtinkender Wurm, Lindwurm, Drache. A primordio ut *Πυθὼ* appellativum fuit; posthac 2) in nomen proprium versum est, et nominatim de dracone, ab Apolline occiso, dicitur. Huc francum posewiht probabiliter referri potest. cf. infra v. böſe.

Python apud Ovidium Metam. I. 438—460. Vox si esset cognata, ut reliquae latinae literis aut p-t, aut f-d (f-t) et vocalibus aut û aut oe aut u scriberetur; est igitur graeca, civitate quasi latina donata (= Lehnwort).

B) **Mutae** gr. *φ-δ*, lat. f-d (f-t).

Foedus, a, um 1) ab initio de foetido, acri, tetro odore et sapore dicitur cf. Freund. lex. ex. c. herba foedi odoris; camera odore foeda; cimices foedissimum animal; foeditas (= böſe artiger Ausſatz), qua Sulla obiit; insectantes odoris intolerabili foeditate (= Geſtank) depellere, alia; 2) deinde tropico plerumque sensu est turpis, terribilis, atrox. Idem a principio valet atque nostrum böſe cf. infra v. Etiam de graecis aliquot, quae easdem mutas *φ-δ* habent, huc referenda sunt:

*Φωίδες, φῳδες* et *φαῦσιγξ* (in his graecum *ῳ* et *αυ*, ut latinum oe, gothicae hujus radicis diphthongo au, ô respondet) significant 1) pusulas, ulcuscula, tum 2) singillatim loca in cute corporis igni ambusta (Brandblaſen), quam significationem Passovius, ut affinitatem horum nominum et verbi *φώγω* demonstraret, primo loco haud recte posuit. Sed *φῳδες*, quod a latino adjectivo foedus male sejungas, loca sunt in cute corporis pure repleta, aut foetida.

Foeteo et foetidus (ut *πάθνη*: *φάτνη*, ita *πύθω*: foeteo illegitime mutas variant; reliqua enim latina mutas aut p-t, aut f-d habent.)

Priusquam ad definiendam horum vocabulorum vim transeamus, de nominibus fetus, us et fetus, a, um dicendum est. Utrumque lexicographi latini a Feo deducunt; sed haec radix cum nusquam reperiatur, pro ficta habenda est. Deinde si horum vocabulorum significationem animadvertas, cum nostra √*πῦθ* ea cohaerere intelliges. Putrescendi foetendique vis in iis non inest; at omnia, quae putrescunt foetentque, ante intumuerint, necesse est. Notio igitur turgendi cum duabus prioribus arctissime cohaeret cf. pag. 25. B. c. Hanc autem turgidi vim nomen fetus habet. Quibus igitur verbis Henischius cognatum adjectivum butzend (cf. infra v.), iisdem plane latinum fetus, a, um definire possis. Verba ejus haec sunt: „butzend i. e. aufgeblähet, angeſchwollen vor völle." Idem

significat adjectivum fetus; tum singillatim de bestia dicitur, quae concepit i. e. quia alieni quid subest, intumescit. Fetus, us est 1) diruptio tumoris, apertura turgidi ventris, deinde 2) singillatim id ipsum, quod, cum antea inclusum intumuerat, jamjam exclusum, partum est, pulli, ova, flores, alia. Quae cum ita sint, primum in his literam t pro radicali, non pro ea, quae participio propria sit, habemus vocalemque e diphthongi oe loco posthac scriptam esse putamus. Deinde apparet etiam in vocabulis:

Foetere et foetidus, a quibus priora non recte separes, 1) tumescendi notionem latere, licet classicorum quos vocant auctorum aetate 2) singillatim de putido, acri, tetro odore usurpentur, qui ex intumescentibus ulceribus aliisque rebus, quae, postquam intumuerunt, postremo putrescunt, effunditur. Foetidus naturalem putidi odoris sensum usque ad recentissima tempora non mutatum obtinuit, quo factum est, ut alterum ejusdem radicis adjectivum foedus naturali significatione deposita ad tropicas se converteret, quod idem in germanico böſe, ad eandem √πῦϑ pertinente, multo etiam magis accidisse jam videbimus.

Neogermanicum **böſe.**

Jacobus Grimm in lex. s. v. böſe (II. 249. 1.) haec dicit: „„der echten ſinnlichen Bedeutung, ohne welche über den Urſprung nicht zu entſcheiden iſt, hält es ſchwer haftbaft zu werden.““ Graff, cujus sententiam etiam Diez in enarrandis quibusdam romanicis vocabulis secutus est, franc. pôsi (= böſe) ab initio pro vili, infirmo, inepto positum esse contendit; G. Wackernagel in Anthologia sua germanica (I. in lex. s. v.) vocem cum graeco φαῦρος, φαῦλος comparat. Omnes, ni omnia me fallunt, perperam. Primum nostrum böſe haudquaquam ab initio est vilis, infirmus, ineptus; deinde quae adjectivi principapalis ac naturalis fuerit sensus, licet recte definiri posse J. Grimm desperet, tamen certo et firmiter adhuc constitui potest. Porro praeter Guilielmum Wackernagel reliqui omnes vocabulum, quod nostro adjectivo cognatum sit, in latina graecaque lingua frustra se quaesisse confitentur; at inest in utraque; graecum autem φαῦλος nostro böſe non est cognatum; Romanica a Diezio huc relata, non ex ipsa lingua latina, sed e germanica in romanicas translata sunt. Denique de vocabulis a Jacobo Grimm ex aliis linguis in lexico allatis tantummodo litt. besas, slavica bjes, bies, finn. piessa, quae omnia diabolum significant, huc pertinere videntur.

At quam magna sunt clarissimi illius lexicographi in totam rem etymologicam merita, sive cum eo, sive contra eum steteris, iisdem armis, quae sollerter excogitata praeparavit et ad proelium tam scite aptare solet, tibi pugnandum est. Quamobrem ante omnia ad vocem et literas recurramus oportet. De radicis mutis consonantibus et vocalibus quae pag. 5 enarrata sunt, quamquam ad demonstrandam hujus germanici adjectivi originem etymologicam suppetunt, tamen ne in re tantis viris maxime dubia nimium nobis arrogare videamur, literarum formulam hic paucis repetere operae pretium est. Genuina igitur radicis graecae forma est φῦϑ, cujus duabus aspiratis in gothica duae mediae (bôds, bausus, bausis?), in franca duae tenues pôtsi, pôsi, in nostra mutae bötſe, böſe oppositae sunt. Formae pôtsi, bötſe vocabulis puts, poets, boetse, quae ex aliis linguis germanicis petita ipse Jacobus Grimm in lexico s. v. Boſſe adnotat et ab his falso sejungit, omnium maxime confirmantur. cf. infra Boſſe. Graeci ut in priore radice, ita et in hac aut π-ϑ (πύϑω, Πυϑώ), aut φ-δ (φῳδές) ponunt, quod Latini ita receperunt, ut secundum suam loquendi consuetudinem aut f-d (f-t; foedus, foetidus) aut p-t (pûteo) usurparent At haec de literis; jam ad explanandum vocabuli sensum transeamus.

Böſe, bötſe, apud Silesios bieſe, franc. pôtsi, pôsi ipsum est lat. adjectivum foedus naturali, quem pag. 26. adscripsimus, sensu et graecum πύϑιος, Πύϑιος; de latinis, si malis, foetidus in comparationem voces. Πύϑωνα et Πυϑώ a principio nomina appellativa fuisse draconemque pestiferum odorem ejicientem et paludes stagnaque putrescentia significasse in prioribus dictum est. Hunc draconem venenato nigroque sanguine repletum Ovidius refert e coeno in paludibus post diluvium exortis natum esse; πύϑιος ab initio igitur et idem valet et ipsum est lat. foedus, foetidus. Quae cum ita sint, nostrum quoque böſe ab initio est:

I) putidus ac foetidus, faul und ſtinkend.

a) Dicunt de locis in cute corporis hominum et bestiarum ex. c. Der Satan ſchlug Hiob mit böſen Schweren von der Fußſolen bis zum Scheitel. Haec naturalis adjectivi significatio licet in libris rarior sit, tamen non tota eva-

nuit. Dicendi formulae, quae huc pertinent, quotidiano nostro sermoni propriae sunt, in libris raro leguntur, non quo obsoletae sint, sed quia ea, quae significant, in libris rarius tractata inveniuntur ex. c. böſe Blatter, cutis particula turgida et inflammata, pustula puris plena, vel pus effundens; böſes Blut, sanguis in pus conversus; tum tropico sensu böſes Blut machen i. e. sanguinem quasi pure replere, inflammare, incendere, deinde animum alicujus exacerbare, ira afficere; böſer Kopf, caput furfure obtectum, purulentis ulcusculis repletum; porro er hat einen böſen Finger; der Finger iſt böſe; er hat etwas Böſes am Arm i. e. in cute digiti, brachii inest pusula, ulcusculum, aut, quod pus subest, turgidum, aut purulentum foetidumque. Eadem ratione interpretemur: er hat eine böſe Zunge, böſes Maul i. e. a principio linguam ulcusculorum, pusularum plenam, os tuberculosum. Hae duae locutiones, ut cognatum pûs (Geifer, geifernd) apud Horatium, tropica etiam vi usurpantur. Ea inde profecta est, quod is, cujus aut os aut lingua tali morbo laborat, foetidum suum spiritum hominibus, quibuscum aut de quibus loquitur, offundit, ita ut et ipsi foedo odore infecti male quasi oleant i. e. in hominum sermones, in vituperationem invidiamque veniant. In quotidiano sermone böſes Maul, böſe Zunge naturali quoque saepe audiuntur sensu, etiam in libris non inusitato.

b) Non solum de cute dicitur corporis, sed etiam de aliis rebus, quae putrescunt foetentque ex. c. und wil mit inen umbgehen wie mit den böſen Feigen, da einem fur ekelt zu eſſen i. e. ficis putrescentibus et male olentibus. Lutherus, cujus haec sunt verba, naturalem, qui subest, sensum fortasse sensit, quod idem de Ovidio non dicam, qui vulnus nominat foedum i. e. ab initio, purulentum, foetidum, tum, quia hominem summis doloribus afficit, atrox. Hic vocis usus apud nostrates rarus est, sed etiamnunc certissimus, ex. c. Die Kartoffel iſt, wird böſe i. e. pusulis, tuberculis male olentibus repleta putrescit. Putria poma germanice eodem ejusdem communis radicis vocabulo böſes Obſt dicas. Huc denique pertinet: böſes Ei i. e. ovum, quod putrescit foetetque, nisi forte, ut latini lexicographi in locutionibus fidelissimum glutinum, fidelis structura (cf. pag. 18 et 19), ita etiam in his germanicis significationis translationem quandam subesse et böſe Eier pro ovis inhonestis i. e. malis dicta putas.

c) böſe ſein ab initio tumere significat, inflatis venis turgidum esse; de homine aut bestia dicitur, cujus os, oculi, venae inflammantur et quodammodo tument; tum est succensere, iratum esse. Eodem redeunt boſen, ſich erboſen, pro quibus nunc male et loquimur et scribimus boßen, erboßen i. e. inflammare et exacerbari, ita ut venae turgeant oculique inflammentur.

II) böſe, putrescendi sensu plane deposito, ut lat. foetidus, significat male olentem; sed hinc putrescendi notio non longe abest; usurpatur enim de iis, quae aeque male oleant, atque ea ipsa, quae putrescunt; quo facto, notio, ut assolet, in arctius contrahitur.

Hanc peculiarem eandemque naturalem adjectivi vim, qua est pro male olente, omnium oportet habeamus gravissimam et, quae accuratius animadvertatur, dignissimam. Significationes enim ejus tropicas, quae tam multae hodie feruntur, quamquam a foetendi notione alienissimae esse videntur, tamen omnes inde derivatas esse pro certo habemus. Caeterum tota haec de hoc singulari adjectivi sensu enarratio non magis est etymologiae, quam theologorum. Tropicae enim adjectivi significationes, quas mox adscribemus, cunctae ab uno nomine proprio der Böſe deducendae sunt; quod quomodo usu evenerit, paullo uberius erit dicendum.

### Nomen propr. der **Böſe**, der **böſe** Geiſt.

Der Böſe, der böſe Geiſt, franc. posewiht, gr. *Πόθων* significat foetidum quoddam daemonium. Ea, quae J. Grimm de slavicis (bjes et bies) attulit, si, quod nos nescimus, foetendi vis in iis latet, huc pertinent; superstitionem ipsam, de qua jam sermo erit, slavicis populis audimus cum Germanis esse communem. Posewiht mythicum est nomen, praeter alia ecclesiae christianae diabolo posthac inditum. Scimus quidem, doctrinam de diabolo ipsam non a persuasionibus Germanorum religiosis antiquitus initium cepisse, sed in ecclesia christiana medio aevo

excultam, XVI^to et XVII^mo saeculo magis etiam quam antea apud Germanos floruisse; veruntamen in hac voce posewiht paganae aliquid superstitionis subest. Ut enim gr. *Πύθων* draconem pestiferum odorem edentem venenatoque sanguine repletum, ita francum posewiht ab initio foetidum quoddam monstrum, daemonium significat; posthac adjectivum, omissa altera voce, substantivi loco positum est; sed etiamnunc der Böſe et der böſe Geiſt loquuntur. Nostrum Böſewicht de improbo nunc dicunt homine et eodem sensu jam XI^mo saeculo invenitur (cf. Guilielmi Wackernagel Antholog. germ. I. 151); sed wiht, wihtir a principio in franca lingua daemonem, genium, non hominem significasse inter omnes constat; in multis fabulis, quae vulgi in ore sunt, de parvulis geniis, qui Wichtelmännchen nominantur, haud raro adhuc sermo est. Germanis nominatim Francis, priusquam ad fidem christianam accederent, persuasionem de foetido quodam daemone, genio jam peculiarem fuisse, veri haud dissimile est. Haec opinio paganis propria simulatque in ecclesiam christianam penetravit, diabolum sulfure et pice olere et, cum perterritis hominibus ad infera discederet, putridum odorem edere in vulgus credebant. Majores igitur nostri, quibus vocabulum, quo diabolum theotisca lingua (Volksſprache) vocarent simulque foedam ejus naturam significarent, deesset, ab hac paganorum opinione, per totam Germaniam divulgata, *διάβολον* vernacula lingua posewiht, den ſtinkenden Wicht, Geiſt, tum den Böſen, *Πύθωνα*, Foedum, den Stänker nominarunt. Videmus igitur graecum *Πύθων*, quod ab initio item appellativum fuit, et mutis consonantibus et naturali significatione ab hoc nostro nomine der Böſe haud procul abesse et ipsum quoque de foetido quodam daemonio, monstro accipiendum esse.

Si in eo erramus, quod Germanis foetidum ejusmodi daemonem antiquitus proprium fuisse contendimus, restat, ut nomen posewiht, id quod multo minus probabile est, a monachis eo consilio inventum esse putemus, ut, qualis esset christiani diaboli turpitudo, popularibus suis theotisca voce declararent. At a vulgi antiquiore quadam persuasione nomen initium sumpsisse, multo est verisimilius. Etiamsi enim tota doctrina de diabolo, a Germanis omnium populorum maxime exculta, ab ecclesia christiana, non a paganorum opinionibus superstitiosis profecta est, tamen ipsum nomen wiht maximo est argumento, etiam a Germanis in ultima antiquitate genios, daemones quodammodo cultos et divino quodam honore affectos esse.

Postquam hoc germanicum diaboli nomen der Böſe magis magisque usurpari coeptum est, naturalis foetendi notio obscurata et vox ipsa in eundem plane modum, ut graeca *Πύθων* et *Πυθώ* (= foetidum monstrum, foetida loca), pedetentim in nomen proprium versa est. Tempora, quibus adjectivum significationem suam, ita ut in nomen proprium converteretur, sensim sensimque immutaverit, quomodo accurate discernantur, id in tanta nostra librorum penuria aliis statuendum relinquamus, necesse est. Illud certis argumentis et allatis exemplis demonstrari potest, adjectivum böſe tum demum, cum vocabulum in nomen proprium jam immutatum esset, in tropicas significationes a principali vi foetendi mirum quantum diversas transferri coeptum esse. Haec etiam est caussa, quod J. Grimm vocem in gothica lingua nusquam, in franca perraro deprehendit; naturali enim sensu in libris est rarissima, tropico in antiquissimis omnino neque exstat, neque exstare potest. Quodsi praeterea adjectivum nobis usitatissimum, quod idem J. Grimm miratur, aliis germanicis linguis iisque recentissimis deest, id inde solum factum esse credimus, quod eae nomen proprium posewiht, der Böſe, francae, suevicae nostraeque linguae commune, neque nunc habent, neque unquam antea habuerunt. Aliquot tamen hujus radicis vestigia etiam in aliis recentioribus linguis germanicis inveniri alio loco dicetur cf. paullo infra et praeterea vocem Boſſe.

III) böſe tropico sensu est:

a) secundum ecclesiasticum loquendi morem diabolo addictus, ut ita loquar, diabolicus i. e. is, qui, societate inita, in diaboli est potestate. teufliſch, dem Teufel eigen, gehörig. Huc franc. gipôsi, pôsa, diabolicae fraudes, astutiae, nugae, et gipôsari, diabolicus, astutus, nugator referenda sunt.

Nos hodie böſe vocamus eum, qui pravis, malis moribus est; hoc latiori sensu vocem antiquiores usque ad XIII^tium saeculum usurpasse non crediderim. In duobus antiquissimis locis, quos G. Wackernagel in libro suo modo com-

memorato habet, vox non in universum de malis (unſittlichen, ſchlechten) hominibus, sed de iis dicitur, qui in diaboli pervenerunt ditionem (dem Teufel, der Hölle verfallen) cf. ibidem I, pag. 178.

„„So si danne von ein varint
so hulint di bosin unde carint“ i. e.

cum igitur ad infera decedunt, tum ululant diabolo addicti et plorant. Hic eos di bosin esse dictos, qui in diaboli sint potestate, cum totum carmen, quod est de extremo judicio, demonstrat, tum praecipue ea, quae deus diabolo addictis, peccatorum suorum veniam petentibus, respondet:

„„der ruwe ist nu zu spede,
Di portin sint beslozin:
hi in mac niman me uz noch in.
Ich in weiz wer ir bint.
ir sint des dvuilis kint.
Gent dar ir gedinet hant,
in der uinstirnisse lant.““

Qui altero loco di bosin, iidem altero des dvuilis kint i. e. diaboli liberi, diaboli familia vocantur. Secundo loco G. Wackernagel hoc exemplum (ibidem I, 217) posuit:

„„Ich hân gedienet lange
leider einem manne
der in der helle umbegât
der brüevet mîne missetât;
sîn lôn der ist boese. (= teufliſch)
hilf mir, heiliger geist,
daz ich mich von sîner vanknisse loese.““

Poëta mercedem, poenas non in universum malas nominat; hic poenas potius, ut ita loquar, diabolicas, infernales (Teufelslohn, Höllenſtrafen) intelligendas esse, reliqui versus docent; ab iis ut spiritus sanctus ipsum liberet, is, qui loquitur, precatur. Alio loco (ibidem l. 245. lin. 40) eadem verba: dîn lôn daz ist boese reperiuntur; etiam hic de diabolicis poenis (Höllenpein) hominum superborum cogitandum esse, paullo post poëta ipse dicit, haec addens:

„den tubelen du si alle gates
neheiner gnaden du in gestates“ i. e.

cum diabolis tu eos omnes consocias, nullam veniam tu iis concedis. Poëta igitur homines superbiae deditos in diabolorum dicione esse et mortuos iis apud inferos poenas extremas daturos credit. Haec ex carminibus XII. et XIII. saeculi excerpta sunt. Sed etiam in nostra lingua singularis hujus significationis vestigia quaedam hodieque supersunt. De nostris ex. c. huc referenda sunt: böſer Blick. Quae verba si latine vertas: mali oculi, malus vultus, quod ad rem sit ineptius, excogitari non potest; immovero böſer Blick nostra lingua est Teufelsblick, teufliſche Augen. Dicunt de eo, qui, quod in oculis ejus aliquid diabolici residet, homines, bestias, omnia, quae adspicit, depravat, perdit, pessumdat. Hanc opinionem superstitiosam ex animis hominum jam funditus eversam esse non crediderim, at nunc periculosa non est. Prioribus autem temporibus ejusmodi homines, quod cum diabolo foedus eos icisse et nomen suum pacti formulae sanguine suo subscripsisse crederent, non solum ii, qui sunt de multitudine, sed etiam Icti et theologi poenis ac summis cruciatibus crudelissimum in modum vexarunt. Porro böſe Krankheit latine non est: morbus malus, sed morbus ejus, cujus corpus ab ipso diabolo obsessum opinabantur i. e. Teufelskrankheit. Eodem spectat: er hat das böſe Weſen i. e. diabolus in corpore ejus habitat, quem ut inde pellerent, per multa saecula theologi precationibus, carminibus, variis caerimoniis efficere se posse persuasum habebant (ἐξορκισμός).

Huc etiam vocabula mediae quam vocant latinitatis: bausiare, decipere et bausia, felonia pertinent. Ab his latinis tantum abest, ut, id quod Jacobo Grimm s. v. non prorsus displicuit, haec nostra pôsi et böſe orta sint, ut ipsa latina originem prodant germanicam;

b) deinde böſe de iis usurpatur, qui sunt scelestis, improbis, perversis, malis moribus, verrucht, boshaft, unſittlich, ſchlecht. Haec significatio a saeculo XIII. obtinuit, sed ita, ut vocabulum, quo antiquiores sunt auctores, eo propius ad diaboli notionem inclinetur;

c) postremo est: malus extentissimo latini adjectivi sensu, ſchlecht, arg, übel, ſchlimm, gering, unecht, alia.

Tropicam adjectivi nostri significationem a paganorum, nominatim, ni fallor, Francorum superstitione quadam profectam, in ecclesiam inde christianam introductam, tum in sermonem vulgi quotidianum, postremo in libros theologorum et philosophorum morales propagatam esse recte suspicari possumus. Si locutiones, cum in libris, tum in sermonibus hominum saepissime obvias: etwas Böſes an der Hand, böſe Liebe; böſer Grind, böſes Gewiſſen; böſe Kartoffel, der böſe Geiſt; böſes Ei, böſes Herz; böſe Krankheit, böſe Gedan-

ſen; böſe Zunge, böſer Blick; böſes Obſt, böſe Sitten, alia animadvertimus atque inter se comparamus, profecto est, quod illud Varronis dictum nobis veniat in mentem: „Multa verba aliud nunc ostendunt, aliud ante significabant.“

Ulfila graecum *διάβολος* (= diabaulus) in linguam suam recepit. Quae vox, cum sui non sentirent, quid valeret, ut diaboli iis indolem quodammodo perspicuam redderet, etiam gothico vocabulo unhultho, tha i. e. Unholde usus est; *εἴδωλα* guda nominat. Ut diabolo addicti in universum di bosin nominati sunt, ita eae mulieres, quae cum diabolo conjugium iniisse credebantur, a nomine Unholde multo post Unholdinnen (Teufelsweiber, Hexen, Druden) appellantur. De nominibus, quibus Franci daemonia appellant, valant, volant et wiht postea obsoleverunt; praeterea monachi medio: latinam vocem diabolus, in francam linguam introductam, in tiuval, tiufal mutarunt. Sed cum ad significandam christiani diaboli foeditatem nulla theotisca vox aptior esset, quam posewiht, Francis antiquitus propria, eam Germani posthac extra vocabulum tiuval, postquam valant dicere desierunt, substantivo wiht omisso, magis magisque usurpare coeperunt. Nostrum autem adjectivum ut ab XIII. saeculo per totam nostram linguam longe lateque serperet, praecipua vulgi, fortasse et ipsorum sacerdotum christianae ecclesiae opera factum esse credibile est. Constat quidem, monachos gentilium superstitiones permultas simul cum vocabulis inde petitis sustulisse, sed, ubi e re esse videretur, superstitiones et vocabula non funditus everterunt, praesertim tum si desperabant, fore, ut ejusmodi opinionem, quae penitus in animis hominum insideret, evellerent. At hanc paganorum persuasionem de foetido quodam daemone, quem posewiht nominabant, quippe quae ad declarandam foedissimam christianae quoque ecclesiae diaboli turpitudinem maxime idonea esset, monachi haud scio an pro grata acceptaque existimarint. Caeterum ipsius superstitionis ultimum quoddam vestigium in locutionibus: das ſtinkt teufliſch, das ſtinkt wie der Teufel, etiamnunc superest. Eodem haec, in quibus, foetendi notione exstincta, diabolici vis latet, referenda sunt: er macht nichts als Stänkereien i. e. diabolicas, fraudulentas insidias struit; er iſt ein Stänker i. e. homo diabolicus, animi tranquillitati alterius inimicus, infestus.

Jam vero ea, quae de literis et sensu adjectivi diximus, paucis repetamus. Nostrum bötſe, böſe, bieſe lat. est foedus, foetidus, graecum *πύθιος*, *Πύθιος*, quod ad verbum *πύθειν* pertinet, a *πυθέσθαι*, ut nonnulli volunt, propter productam vocalem derivari non potest. Tropicae adjectivi significationes cunctae a nomine proprio posewiht, der ſtinkende Wicht, Geiſt, der Böſe initium cepere et cum per nonnulla saecula (ab XI^mo^ usque ad XIII^tum^) ad ipsum nomen proprium proxime se adjunxissent, posthac per theologos et philosophos multo latiori sensu usurpari coeptae sunt. A Judaeis, quantulacunque est nostra ejus rei scientia, haec opinio de foetido daemonio profecta non est**); gentilis potius aliquid superstitionis in nomine proprio, quod cum graeco *Πύθων* comparari potest, latet. Monachi christiani hanc opinionem hominum exstinguere aut noluerunt, aut, id quod vero propius esse videtur, non potuerunt. De francis enim diaboli nominibus tiuval, valant, wiht primum ex sancta lingua in theotiscam invectum esse scimus. Palam igitur est, nomen tiuval (= diabolus) a monachis in francam linguam eo consilio receptum esse, ut ii, qui fidei christianae addicti essent, eo uterentur solo. Sed Francis, qui, quid haec aliena vox tiuval, postea in dvuilis, tiuvel, tiufel, tubel, tievil, tievel, dievel, tiefel, tivel, Teufel (cf. G. Wackernagel s. v.) mutata, significaret, non intelligerent, nomine aliquo, ex sua ipsorum lingua sumpto opus erat, ut, qualis esset christiani diaboli foeditas, penitus perspicerent. Ad id altera vox valant monachis apta esse videbatur; hoc enim participium aut terrentem, aut decipientem, fraudulentum significat. Sed hoc nomen, quippe quod non externam quandam corporis proprietatem, sed diaboli ingenium ac

**) Quae de Babyloniorum quodam daemone, Beelzebul sive Beelzebub vocato, traduntur, ea huc trahi posse videntur. Ut Graeci *Πύθωνα*, ita Babylonii hunc daemonem impurum ac sordidum foetida loca incolere et spiritus sui odore pestifero omnia inficere credebant. In eundem fere modum nos francum posewiht interpretamur, quod, cum a monachis, diabolum tiuval aut valant nominantibus, inventum non sit, ab paganorum superstitiosa persuasione de foetido quodam monstro exortum esse putamus.

mores significaret, ad intellectum vulgi minus accomodatum fuit neque tantum in se habuit virium ac ponderis, ut usque ad nostra tempora perveniret; posthac enim obsolevit. Nomen contra posewiht, der Böſe, i. e. foetidum daemonium, Francis a majoribus traditum, ad rem ipsam declarandam aptissimum, multitudini hominum, in ecclesiam christianam receptorum, tam acceptum erat, ut alteram vocem tiuval, ex sancta lingua translatam, vel invitis monachis, in arctiores fines coerceret. Inde simul factum est, ut non solum ipsum nomen proprium der Böſe usque ad haec tempora propagaretur, sed etiam adjectivum böſe, cum in varias ac multiplices significationes, quae omnes ab una diaboli notione proficiscuntur, discessisset, usum alterius adjectivi, tropico suo intellectu simillimi, coartaret; gothicum dico ubils, francum upil, nostrum übel. Ubi enim antiquiores, nominatim Gothi et Franci ubils, upil, ibi nos nunc persaepe böſe et loquimur et scribimus.

Quae sit principalis et naturalis adjectivi vis, exemplis ex nostra lingua petitis supra demonstravimus. Quodsi Graff apud Notkerum vocabulum dicit vilem, infirmum, ineptum significare, num ea opinio vera sit, maximopere addubitamus. Cum facultas nobis libros francorum auctorum huc pertinentes inspiciendi desit, opinionem ejus allatis multis exemplis refutare in promptu non est. At si quid de ea re nostri judicii est, omnia ei refragantur. Posewiht ex. c. in XI. saeculi quorundam Aristotelis librorum versione (cf. G. Wackernagel ibidem I. 131) legitur; illud, quod scelestum nunc significat, tunc vilem, infirmum ineptum hominem significasse, quis est, qui credat? Porro in XII. saeculi oratione quadam, in qua de illis scabiosis, quos Christus sanavit, sermo est, inter alia (ibidem I. 303, lin. 4.) haec insunt: „Wan als an dien miselsuchtigen ist bi der boisi und der viuli etwa gemischelot di ganze hut, als ist etc.“; Verba ita latine vertimus: „Sicuti scabiosorum hominum tota cutis ulcusculis (bi der boisi i. e. mit Böſem, Geſchwüren) et putore maculata est, ita est etc.“ Quid bi der boisi hic significet, additum synonymon bi der viuli demonstrat; nostrum est etwas Böſes i. e. pusulae, ulcuscula. Sic non solum hunc locum rectius, quam reliqui, explanasse, sed etiam principalem ac naturalem adjectivi sensum, neogermanicis locutionibus supra firmatum, exemplo satis antiquo fulsisse nobis videmur. Quae cum ita sint, francum quoque posa, giposi haud scio an aut putorem, ulcuscula (= etwas Böſes, die Bosheit cf. infra hanc vocem), aut ut nostra der Butz, der Poſſe, jam derivato sensu diabolicam fraudem, astutiam, nugas, ineptias, et gipôsari diabolum, aut hominem diabolicum, astutum, nugatorem denotet, ita ut alterum nostro ein Stänker significatione proximum sit. Ab his et nostro böſe Jacobus Grimm substantivum Boſſe, Poſſe (cf. lex. II. 261) non recte separat; nos infra horum omnium communem et originem et sensum, cum naturalem, tum derivatum evincere conabimur. Quae vocabula idem ex recentioribus linguis germanicis collecta: „nnl. poets, antea boetse, nd. putze, putse, schwed. puts, dän. puds, ex Kiliani cujusdam libro boetse“ ad vocem Boſſe adnotavit, ea maximo sunt documento, primum graecam √πῦθ, latinam √foed, pût, germanicam √biud, bôth, bud (= Bieb; pôsi; Putz, Poſſe) reliquis iisque recentioribus stirpis germanicae linguis, in quibus radicem adjectivi böſe se frustra investigasse J. Grimm dicit, non omnino deesse. Deinde praecipue exemplis puts, poets, boetse ibidem adscriptis genuina nostri adjectivi forma pôtsi, bötſe, quam in eo subesse supra contendimus, luculenter comprobatur. Ut nostra bieſen, pôsi, böſe b-s, ita et latina pûs, pûsula p-s habent: cf. supra et φισάκνη pro φιδάκνη et φαῦσιγξ, quod alterum item φ-σ, non φ-δ ostendit. Apud Ulfilam si bôds, bausus reperiretur, ut latinum foedus et graecum πύθιος, putridum, foetidum significaret; gr. πονηρός, cui gothicum bôds, bausus sensu minime conveniret, gothice est ubils ex. c. ak lausei uns af thamma ubilin; ahmane ubilaize. Si multo post Lutherus graeca germanice vertit: erlöſe uns von dem Uebel, Zwingli contra von dem Böſen, alter necesse est aut latiori sensu vocabulum „dem Böſen“ posuerit, aut ipsum diabolum hac voce significarit. Alio contra loco, ubi Ulfila gothice vertit: unte sunno seina urranneith ana ubilans jah ana godans, Lutherus non item habet: über die Uebleu, sed, id quod non exspectaveris, altero adjectivo usus, dicit: er läßt ſeine Sonne aufgehen über die Böſen und über die Guten.

Jamvero cum ea, quae putrescant foeteantque, simul etiam in pejus vertantur, i. e. mala

fiant, facile est perspectu, qua ratione arctior specialisque putrescendi foetendique notio in generalem transierit, qua postero tempore böſe in universum pro malo dixerunt. Contra quomodo haec generalis vis, quae inde ab XIII. saeculo est usitatissima, in illam arctiorem immutari contrahique potuerit, qua est pro putrido ac foetido, haud facile quis mente comprehendat. Quam multa enim sunt mala, quae nunquam neque putrescunt, neque foetent; at quae putrida sunt et foetida, ea cuncta jamjam sunt depravata i. e. mala. A foetendi autem notione et nomine proprio der Böſe tropicas adjectivi significationes originem suam traxisse supra fusius demonstratum est. Quae in germanicis libris diaboli nomina (Satanas, Beelzebub, Belial, Lucifer, goth. diabaulus, franc. tiuval, tiufal, Teufel; goth. unhultha, tho, guda (*εἴδωλα*), franc. valant, wiht, alts. wrêtho, ags. vrâda (= mala suadens), der leidige, unholde, ungeheure, ſchwarze reperiuntur, aut ex aliis linguis in nostram irruerunt aut nunc sunt obsoleta. De vere germanicis etiamnunc usitatissimum nomen est der Böſe; nam altera vox der Teufel, in franca et reliquis dialectis multifariam literis variata, cum revera sit sive gr. *διάβολος*, sive medio: latinum diabolus, singulari quadam mutarum consonantium vicissitudine, nec ea legitima, quodammodo germanica facta est. — Postremo si omnia, quae de hoc adjectivo dicta sunt, nobis in memoriam revocaverimus, apparet, primum quam perversa sit eorum ratio, qui ad rem etymologicam aut una tantum lingua utantur, aut in comparandis vocabulis a significatione initium capiunt. Germanici enim adjectivi quae sit origo, nisi linguam latinam et graecam (foedus et *πύθιος*) ad comparationem adhibeamus, per unam germanicam recte demonstrari non potest. Tum significationum ejus diversissimarum, inde a XIII. saeculo obviarum, tanta est copia, ut, vocis et literarum respectu non habito, quae sit principalis, qui reliquarum nexus et ordo, nemo dijudicare possit. Nos autem si in constituenda hujus radicis, his tribus linguis propriae et communis, mutarum consonantium vicissitudine omnino erraverimus, totam hanc enarrationem, de adjectivo böſe institutam, ut legentium attentione indignam, ipsi et improbamus et abjicimus.

Böſe, die, vox rara 1) cutis tumor, inflammatio; apud Helvetios: dBöſe ſlodem uza i. e. cutis particula pusulis, ulcusculis repletur, die Bosheit, das Böſe ſchlägt ihm aus; 2) etiam de aliis rebus dicitur. cf. Grimm lex. s. v.

Bosheit, die. Quae apud Grimmios sexto loco adscripta sunt exempla, naturalem intellectum habent; primo igitur collocanda erant; 1) tumor, inflammatio cutis, vulneris, Geſchwulſt, Entzündung, ex. c. Sevenbaum auf die Wunden gelegt, die weit um ſich freſſen, benimmt ihnen die Bosheit i. e. tumorem, inflammationem vulneris sedat, mitigat cf. pag. 32. franc. boisi, quod idem valet et lat. foeditas pag. 26; 2) tumor oculorum, vultus, oris ex. c. apud Schillerum die B. ſteht dir in den Augen; 3) tropico sensu exacerbatio, ira, furor, sed ita, ut ob internam animi perturbationem os turgidis venis intumescat oculique inflammentur ex. c. vor Bosheit zittern, berſten, platzen; 4) putrescendi intumescendique sensu depositum est pro diabolicis artibus, malignitate, morum perversitate. cf. supra böſe Nro. III.

boſen, erboſen, pro quibus nunc boßen, erboßen loquimur. cf. böſe ſein pag. 28.

bieſen latinum est pustulari, quod de bestia ulcusculis laborante dicitur, ob dolorem pustularum circumvagari cf. Grimm lex., ubi romanica beser, bezer commemorantur. Ut in adjectivo böſe, bieſe, ita etiam in hoc verbo, ejecta litera linguali, b-s auditur.

Bieſt, der, graecum est *πῦος*, colostrum. cf. *πῦος* pag. 25.

Bied, Biet, das, latinum est pus et graecum *πῦον* i. e. sucus, sanguis puri similis, eiterartiger Saft, Flüſſigkeit ex. c. ich will dich treten, daß dir das Bied ausgeht. cf. Grimm lex. Biet Nro. II.

Voces Biet, quae apud Grimmios primo et tertio loco leguntur, ad $\sqrt{\pi\tilde{\upsilon}\vartheta}$ non pertinent et ab hac, quae ibidem secundo loco posita est, distingendae sunt. Altera illarum fundamentum significat, a fabris lignariis ad id factum, ut in exstruendis aedibus ei insistant, altera Helvetica vox est, pro qua nos Gebiet loquimur. Utroque sensu alterum Biet ad $\sqrt{\pi\upsilon\vartheta}$ i. e. *πυθέσθαι* (= fundere, biudan, piotan, bieten) referendum est. Gebiet graecum est *πυθμήν*, latinum fundus, das Biet (= ein Gerüſt) latinum est fundamentum.

**Vocabula** a $\sqrt{\pi\tilde{\upsilon}\vartheta}$ orta, quae **correptum u habent.**

In superioribus vocabula graeca, latina, ger-

manica enarrata sunt, quae de tribus hujus radicis vocalibus eas ostendunt, quae in formula primo et secundo loco adnotatae sunt et productam syllabam habent (cf. pag. 5.); unum puter, si Horatius id recte recitaverit, excipiatur, necesse est cf. v. pag. 25. At sunt in latina et recentioribus linguis germanicis nonnulla, quae tertiam vocalem i. e. correptum u possident, in germanicis, ut alias saepe, in breve quoque o versum. Mutae consonantes ut in latinis (pûteo, foedus, foeteo), ita et in his germanicis multifariam sunt diversae; apud Grimmios p-tz, p-z, p-ss (Poſſe), p-ts, p-ss (putſerlich, puſſerlich) leguntur; praeterea etiam prima litera in omnibus variat; Saxones b, Silesii p in his loquuntur. Hanc tantam mutarum consonantium diversitatem eo maxime excusamus et defendimus, quod eae jam primo loco i. e. in latina lingua inter se differunt. Praecipua vocabula, quae aut u, aut o brevi usurpantur, haec sunt: A) der Butz, Putz, des Putzen; B) der Butz, Putz, des Putzes; C) butzen, putzen; D) putare, putus, putamen, puteus; E) der Boſſe, Poſſe, des Poſſen.

Jacobus Grimm, ubi in lex. II 595 de origine et radice harum vocum germanicarum disputat, haec addit: „verwandtſchaft zwiſchen putzen und dem lat. putare und amputare wird ſich nicht leugnen laſſen." At id quod invitus quasi concedit, nos pro certo habemus; neque vero mutae, quominus hoc statuamus, impedimento sunt; in latina enim aeque variant atque in nostra lingua. Omnia autem haec vocabula triplicem radicis sensum sequuntur; significat enim aut tumescere, aut putrescere et foetere; in omnibus germanicis praeterea eadem diabolici vis inest, de qua supra pluribus dicere opus fuit; quae cur a latinis absit, facile intelligitur. Quamobrem in iis definiendis eundem ordinem, quo significationes adjectivi böſe supra persecuti sumus, observare e re ducimus.

A) Butze, der, Butz, Putz, des Putzen:

1) graecum est πῦον, latinum pûs i. e. lentus et puri similis liquor nasi, excrementa narium, oculorum, pituita ulceris interna; Silesii vocem a p incipiunt et in quotidiano sermone haud raro usurpant ex. c. wiſch, mach dir den Putz von der Naſe ab. Huc franc. gebuzze pertinet, ἔντερα, exta, aut a foetido odore ita nominata, aut quod turgent, tument.

2) foetidae sordes in universum ex. c. candelae Lichtputze, barbae Bartputze, tonsor Bartputzer. Apud Silesios Lichtputze feminino genere a) foetidae sunt sordes candelae, b) instrumentum, quo removentur (Putzſchere, Lichtſchere).

II) Tropica vi (cf. pag. 28. II. der Böſe) est:

a) pro foetido daemonio, pro diabolo; apud Grimmios: ein leibhaft Butz = ipse diabolus i. e. der Stänker.

b) Homo in diaboli modum vestitus. A principio igitur non est larva, persona cujusvis generis, id quod Jacobus Grimm, qui Schmellerum secutus esse videtur, credit, sed singillatim atque nominatim diaboli persona, vestes nigri coloris. Deesset enim tertium quod vocant comparationis, quo notiones: sucus foetidus, 2) aliae sordes, 3) larva inter se continerentur. Hodieque mos obtinet, ut homines persona, visu turpi, os tegant, aut inusitata, tanquam diabolica veste se amiciant, pueris terrorem injecturi. cf. Grimm. lex. Ibi inter alios locus adscriptus est, quo conjux maritum, ut flentem puerum terreat, diaboli veste aut aeque turpi indutum, sic alloquitur: „gehe hinweg, du häßlicher Butz, das Kind iſt nicht dein, ſondern mein." Suum esse puerum dicit, non diaboli, quod in infantes culpa liberos, diabolo, societate inita, nondum obnoxios, huic nulla sit potestas;

c) Non larva diaboli, aut hominis, diabolica veste velati, sed larva in universum ex. c. ex stramine facta, ad pellendas aves ab agricolis in agris collocata. Fortasse huc pertinet hispan. bausan (Vogelſcheuche).

d) apud Goethium: „verlogene Leute, Neider mit Butz, Neid, Praktica. Hoc loco est abstractum, quod vocant, non, ut in superioribus, concretum et diabolicas, malas artes significat. Eodem redeunt; „Ungehorſam und eigner Nutz, daſſelbig iſt ein böſer Butz" et „darzu treibt ihn der Eigennutz, der wuocherei, ein böſer Butz" i. e. diabolica, scelesta libido. Duplicem radicis sensum, quo et foetere et foetidum daemonium i. e. diabolum significat, non solum in hoc, sed etiam in reliquis, quae sequentur, reperimus. Postquam superstitiosa persuasio de diabolo, qui hominibus

foetidum sulfureumque odorem offunderet eosque ad infera secum raperet, evanescere coepit, etiam vocabulum Butz hoc sensu obsolevit et et in scriptis recentiorum tam rarum est, ut, nisi J. Grimm apud ipsum Goethium id reperiri docuisset, vix pro neogermanico haberes; naturali contra intellectu in quotidiano sermone haud infrequens est.

B) der Butz, Putz, des Putzes cf. Grimm. lex. II, 587. Cum ab hoc nomine naturalis putrescendi foetendique vis omnino absit, id inter haec omnium recentissimum habeam; Jacobo Grimm auctore, ante saeculum XVII vix reperitur.

1) vestitus diabolicus (Teufelskoſtüm), cujusmodi vestem, qua discipuli, susceptis diaboli partibus, in agendis fabulis uterentur, in cella cujusdam gymnasii inter alias asservatam esse in programmate quodam legere me memini. cf. Butz, des Butzen Nro. II, b; Seb. Frank: „die greuwelbutzen in teufliſcher Kleidung;"
2) terrendi sensu plane deposito, vestis nova atque inusitata, ideoque ab initio pro turpi habita.
3) Etiamnunc saepissime numero fieri solet, ut ejusmodi vestes novae et inusitatae, praesertim tum, cum pudicitiae ratio non habeatur, primo pro inhonestis, tanquam diabolicis, quibus uti homines cessent, deinde sensim sensimque pro pulchris ducantur. Quo evenit, ut non solum terrendi, sed etiam turpitudinis notio, quae a primordio nomini inerant, magis magisque exstingueretur, et vox postremo non modo de turpi, novo, inusitato vestitu, sed etiam de pulchra elegantique veste usurparetur. At subest semper notio, eas vestes, cum ab reliquorum more abhorreant, novi atque inusitati quid habere. Ita et nomen Putz et verbum putzen de iis vestibus plerumque usurpant, quas die Solis induere solent, ab iis, quas reliquis diebus induunt, diversas.
4) Praeter vestem etiam ad alias res adhibetur ex. c Putz der Mauer, Waffen, alia.

G. Wackernagel mhd verbutzen dicit esse os persona obtegere; etiam de nostris nonnulla documento sunt, ab initio non de pulchra, sed, si non semper de turpi, de inusitata saltem veste cogitandum esse ex. c. ſich heraus-, verputzen, Putzdocke, geputzt, wie ein Pfingſtochſe. Eodem modo Silesiorum nomen Putz, Putzel (mulierem et corporis habitu et dispari veste deformem) interpretemur. Huc accedit, quod vox praecipue de muliebri mundo dici solet, ita ut et in his diaboli notionem quodammodo latere suspicemur. Mulieres enim, quae vestes ab reliquarum more diversas induere et novis quotidie modis et artibus inusitatis mutare solent, viros ad libidinem (zum Böſen) pellicere in vulgus creduntur. Agricolae quidem nostri, qui sunt eorum mores antiqui, tales vestes novas pro diaboli ludibrio habent et mulierem rusticanam, quae eas induat, in diaboli potestate esse opinantur.

C) butzen, putzen. Gellii verbis, quibus latinum putare definit, etiam nostrum definire possumus. „Putare", ait, „dixerunt vacantia ex quaque re ac non necessaria, aut etiam obstantia et aliena auferre et excidere." Ut putare a substantivo pus, ita putzen a nomine Putz, tzen derivatum est; significat igitur

1) puri similem sucum narium, aliarum rerum removere, pus ex ulceribus extorquere ex. c. die Naſe putzen;
2) alias sordes, quae non foetent, removere, purgare ex. c. Schuhe, Meſſer, Waffen, Mauer; das Kätzlein putzt ſich i. e. sordes removet.
3) butzend apud Henischium (cf. Grimmiorum lex. II. 594) huc pertinet, at non transitivo sensu accipiendum de eo, qui pus removet, sed intransitivo de eo, qui, quod alieni quid subest, intumescit, turget, „aufgeblähet, geſchwollen vor völle, i. e. turgidus cf. cognatum foetus, a, um pag. 26 et 27.
4) tum tropico sensu reliquas easdem quas substantivum Putz (tzes) habet significationes:
   a) diaboli persona os obtegere, ejus vestibus indutum esse;
   b) vestitu novo atque inusitato ideoque a multis pro turpi habito se amicire;
   c) pulchra atque eleganti veste uti, sed ea ab reliquorum more abhorrente.

D) Putare idem est verbum atque nostrum butzen, putzen. Ut pûtere a substantivo pûs derivatur, ita et putare; alterum radicis longam, alterum brevem habet vocalem; illud pûre infectum, repletum, putidum esse, hoc, ut

nostrum butzen, pûs removere, purum facere significat. **)

I. Naturali sensu pûs, foetidas sordes, aliena auferre;

a) in re medica pûs, sordes removere; amputare pestiferum in corpore cf. Freund lex.; amputiren non est cognata vox, sed a medicis in nostram linguam invecta;

b) in re rustica aliena, obstantia auferre, excidere, effodere, purgare, ut in nostris die Schuhe, Messer putzen; die Katze putzt sich.

II. Hactenus latini et germanici verbi significationes simillimae sunt; tropicas contra totas inter se distare et in alia omnia discedere, profecto non habemus, quod miremur. Qua enim ratione et via germanica radicis vocabula in tropicas abierint, ea docent, quae de ecclesiastico eorum apud Germanos usu supra allata sunt. Tropicae significationes verbi in lat. lexicis, ex. c. apud Freundium („rechnen, berechnen; wofür halten: erwägen, überlegen, bedenken; urtheilen; meinen; glauben; vermuthen; denken u. s. w.") tam multae enumerantur, ut nemo, quae earum prima, quae recentissima sit, discernere possit. Quomodo verbum a naturali ad tropicum sensum translatum sit, nescire me aperte fateor; illud enim, quo naturalis et tropicus sensus in unum quasi coierit, quale sit, indagare non possum.

Putamina sunt sordes ablatae, remotae, Abfall, Kehricht, Hülse, Schale. Putus, a, um, sordibus, maculis exutus, purus; argentum purum putum est omni aliena materia carens et, omnibus ex eo vitiis detractis, candefactum, rein und glänzend, glänzend rein; amicula pura, puta, procera, sauber, geputzt, von schlanker Taille; purus putus est ipsus er selbst ist's sauber und in vollem Glanze, Staate (?); nos dicimus: er selbst ist's, wie er leibt und lebt; putissimae orationes, i. e. omnibus vitiis emaculatae. Puteus est fovea purgata, liquidae, purae aquae plena; franc. puzzi idem significat.

Bosse, Posse, der, des Possen, alias Boß, Botz scribitur et secundum Jacobum Grimm vix ante XVI. saeculum reperitur; omnium formarum deterrima per Adelungium obvaluit: der Possen, des Possens; postremo feminino quoque genere est die Bosse, Posse. Prima litera ut in antecedentibus, inter b et p variat; correpta radicis vocalis u in literam o versa est; posterioris mutae major etiam est differentia; literis enim ſſ, ß, tz scribitur, atque adeo J. Grimm apud Kilianum quendam formam bötse se legisse dicit; in cognatis germanicis linguis est p-ts, b-ts, b-ds cf. Grimm. lex. s. v.

Bosse primum 1) significat ea, quae, quod alieni quid subest, turgent, cf. pag. 25 B. d, tum 2) ad singularem sensum inclinatur, quo haec vocabula cum foetido diabolo cohaerent.

I) Naturali vi est tumor, pusula, ut romanicum bosse; primum fortasse in cute corporis, tum in aliis rebus, Auswuchs, Beule, Buckel. Eodem modo etiam latina ulcus, tuber, gibbus, torus de excrescentibus, in rotundam formam intumescentibus rei alicujus partibus usurpantur.

a) In re statuaria tumentes, excelsiores rei partes, erhobene Arbeit; omnia, quae, ut ex cute corporis pusulae et ulcuscula, ita e saxo sculpta aut e robore dolata eminent

b) ipsae statuae, quae artificis opera e lapide, ligno, auro, argento quasi excrescunt, ad januas, aedes, puteos, vasa exornanda adhibitae, Bildwerk, Schnitzwerk; ornamenta, Zierat, Beiwerk ex. c. ein Trinkgeschirr mit allerlei Possenwerk von Gold oder Silber geziert. Apud Johannem Sachs:

„auf dem Gesimbs sah ich vil Possen
aus Glockenspeis künstlich gegossen."

II) Tum tropicam diabolici vim habet. Huc franc. pôson, mhd bosen = diabolicis artibus uti, fallere, decipere, nugari et franc. pôsa, giposi: fraudes, astutiae pertinent.

1) Possen sunt diabolicae artes, jocus, nugae, ineptiae, gestus, gesticulatio ex. c. Possen reißen, treiben, erzählen; einen Possen spielen, thun, anthun, zum Possen machen. Etiam in

